

Act. Bibl. P.P. Francis. Ingr.

ELEMENTA

RHETORICÆ,

SIVE CAPITA EXERCITATIONVM STVDII PVERILIS ET STILI, AD COMPARANDAM VTRIVSQVE LINGVAE FACVLTATEM,

[illegible] LECTA

A [illegible] res.

IOACHIMO

CAMERARIO.

Camerarius ↑ I (Liebhard)

NVNCQVE DENVO CVM [illegible] emendatiora, tum locis aliquot auctiora, in lucem edita

LIPSIAE

IN OFFICINA VOEGELIANA cum Priuilegio Quinquennij.

ANNO

M. D. LXII.



14086

PHILIPPVS IOACHIMI F. CAMERARIVS, INGENVO PVERO Iohanni Ludouico, Amplíſs. & præſtantiſs. V. D. Ludouici Eximij Iuriſconſ. F. Grempio a Freudenſtein.

S. D.

REVERSO TANDEM ad parentes, cum in itinere certis eiſq; magnis de cauſsis commoratus fuiſſem diutius opinione & uoluntate mea, nihil prius mihi neq; potius fuit, poſtquam cætera ſalua & æterni Dei clementia ſatis proſpera domi noſtræ cognoui, cura & perconctatione de ſtudijs & laboribus Muſicis patris mei: Quem inueni libellum quendam non tam retractantem inter

exprimendum, quam recognoscendo quæ aliquando scripsisset, & quædam mutando quasi interpolantem. Atq; potuit animaduerti, illud ei scriptum non prorsus displicere, in quo diligentius etiam emendando corrigendoq; plus considerationis operæq; positurus uideretur, si & ocium habuisset, & tempus longius, quod tribueretur huic occupationi, fuisset concessum. Nam, quod scripti ad institutionem puerilem accommodati non infructuosam lectionem fore arbitraretur uel discipulis uel etiam magistris doctrinæ liberalis, prodire illud cupiebat, ita perpolitum, ut neque neuus neq; macula aliqua turpitudinis nota insignis remaneret. Atque eam attentionem & planè curiositatem neque

alie-

alienam ætate sua, neq; indignam persona esse dicentem ipsum audiuimus, quam & uellet & existimaret posse seruire ijs quibus ueritas cordi esset tam in docendo, quam discendo illa, supra quæ tanquam fundamentum omnis bonarum artium eruditio & ingenij acumen, & industriæ laus extrueretur. Quæ etsi indies minoris fieri, atq; adeo contemni iam a multis, a nonnullis derideri cerneret, a se tamen relinqui & destitui non oportere aiebat: Vel quod opera essent ista artis, quam factitaret: uel quod iudicium maneret hoc certum atq; firmum, Hanc directam esse & expeditam uiam ad excolendos & præparandos animos eorum qui Virtutis sapientiæq; copia præstare cæteris deberent.

berent. De quo quidem negabat se esse dimicaturum cum ullo, aut uelle in hac perturbatione rerum & uitæ dissolutione obstare, quo minus sentiret sequereturq; unusquisq; quod uellet & probaret maxime. Vidi pro quibusdam non malis, ut putabam, uerbis reponentem alia. Vidi collocationem alicubi illorum conuertentem: Vidi figuras sermonis permutantem. Atque audiui, istam solicitudinem cum cauillaretur ipse, & alia nobiscum iocanteṁ, & amentiam hanc non dissimilem esse memorantem eius quem barbatum delectaret, secundum Horatium,

Aedificare casas, plostello adiungere mures
Ludere par impar, equitare in arundine longa.

Vt tamen puerilia ista esse con-

fiteba-

fitebatur, sic nõ pudere se dicebat, in his etiam, utilitatis aliorum spe, uersari accuratius & quasi sumtus studij temporisq; impendere maiores, siue bene seu male collocarentur. Allata una pagella in qua esset, Quæ potiss. indicatione nostra cognoscere, &c. Quanto, inquit, elegantius & melius fuerat, Quæ nobis potissimum indicantibus cognoscere. Ista uero, connexa & unita: &, hanc copulam: &, inficias eam: &, sua paruitate, negabat se scientem ad hunc modum edi passurum fuisse. Quædam enim impedimento fuere recognitioni uniuersorum. Censebat autem & uerbis minus inculta, & aptiora sententijs hæc perscribi potuisse, hoc modo: Connexa atque iuncta uereq; cognata,

Et, copulationem potius quam copulam,& inficiatus ſim, Et,ſua exilitate. Sed iniſtorum mentione morari diutius ineptum fortaſſe uideatur. Qui tamen non oſcitanter legenda hæc eſſe duxerint,ijs ſignificatio mea neqꝫ ingrata neque inutilis, ut ſpero, futura eſt. Cum autem cernerem, quædam in diuulgatis prius exemplis ad marginem aſcripta nunc inter exprimendum omitti, putaui illa quaſi excidentia ſi recolligens non ſiuiſſem perire,operam me eſſe daturum bonã & laudabilem. Quæ quidem & alijs demonſtratis ſtuduimus augeri. In quibus ſi quid requiretur, uenia dabitur & mihi minus ad iſta elaboranda inſtructo,& negotijs illius a quo peti ſumiqꝫ oporteret,& uero temporis, ut di-

ut dicitur, puncto, quod nobis ad perficienda hæc esset.

Incidit autem in hunc ueluti articulum, nuntius tristissimus mortis, optimi & eruditione doctrinæ uirtutecp & humanitate præstantis. uiri Iohan. Stigelij. Quo acerbis. apud nos dolorem acceperunt, quib. ille quidem notus fuit uniuersi, sed quo maior necessitudo & suauior familiaritatis usus ei fuit cum familia nostra, eo grauius uehementiuscp nos sumus perturbati. Fragilis etiam ac caducæ uitæ hominum miseria isto quocp casu declarata admodum terruit animos. Discesserat ille modo hinc, ubi cum amicis hilariter iucundecp uixerat, qui mirifice delectarentur consuetudine illius. Incp hoc itinere cum lan-

guere cepisset, domi suæ paulo post ex ea uita excesit, in qua ut adhuc per ætatem pietatis optimarumq; artium studijs exercendis prodesse reb. humanis plurimum potuisset, sic quæ eum res aut spes morari retinereq; debuerit, non apparet. In qua sane mœsticia sit pater meus quid attinet cõmemorare? Quemadmodum quidem hic & dilexit & magnifecit & admiratus est Stigelium, non modo eximiæ facultatis faciendorum carminum nomine, sed constantiæ, ueritatis, magnanimitatis, pietatis, sapientiæ: Ita ab illo se amari inprimis coliq; perspexit. Meum uero luctum quantum esse conuenit? Quem summus uir Stigelius caritate complexus singulari fuit, conciliatum sibi ætate puerili non suo iudicio

iudicio aut aliena commendatione, sed quadam affectione naturæ peculiari. De qua precationes ille aliquãdo religiosas uersib. conscribens & me compellans, hoc fecit,

Care mihi arcana cœli ratione Philippe.

Verum Stigelium quiescere sinamus cum eo quem sanctiss. ueneratus est Domino nostro Iesu Christo, neq; ipsius, cui nihil mali accidit ~~uicem doleamus~~, sed superstitum. Ignoscatur etiam perturbationi nostræ, ~~quæ alacritatem~~, qua opus esset, ~~addi huic~~ elaborationi passa non est.

Repetens autem, Iohannes Ludouice, uel potius præsente memoria retinens, & humanitatis incredibilis merita Amplis. præstantissimiq; uiri patris tui, & beneficiorum quæ in me contulit magnitu-

gnitudinem, & tuam etiam erga me, dum in ueſtris ædibus benignitate patris tui dego, puerilis animi ſingularem affectionem ac ſuauitatem ita ueluti inchoare uolui declarationem grati & memoris animi, ut huius libelli & reconcinnati & aucti expreſſum hic opus, tuo nomini dedicarem, & hac, illud tenera ætate tua pro meo captu celebrarem. Recordor autem quam acceptum carumq; habueris alterum libellum hinc iſtuc miſſum, & datum tibi. Non uſui ſcilicet hic iam tibi erit, ſed erit breui, deducente in hoc ſpacio uitam tuam, & protegente filio Dei Domino noſtro Ieſu Chriſto, quem habet genus humanum σωτῆρα καὶ φύλακα unicum, & promouente imo incitante te admirabili reſpectu aſſiduita-

duitatis & uigilantiæ paternæ. Interea tuum nomen cognoscetur commendaturq; liberalis & ingenuæ institutionis atq; disciplinæ amatoribus, in quorum numero iam te conspici tibi honestum decorumq; esse statues, enixeriscq; ut paulo post etiam emineas, adiuuante æterno & propitio Deo, & opem atq; ductum illius tua uoluntate contentioneq; sequente. Confido hoc etiam officium meum Amplis. præstantissimoq; uiro patri tuo non iniucundum fore. Cui quantum debeam neq; facile dixero, neq; nunc dicendi locus est. Etsi autem amoris beneuolentiæq; ipsius profluentiam, & abundantiam benefactorum mea fortuna aliquantulum impediuit, Ea tamen tributa

mihi

mihi & collata sunt, ut uestræ familiæ arctiss. uinculo obligatus sim obseruantiæ sempiternæ. Et quoniam etiam hoc bonum acceptum a me referendum est amicitiæ quæ intercedit patri tuo cum meo, sentio ideo quoq; pietati erga parentes meæ maius quoddam onus imponi caritatis & reuerentiæ & subiectiss. obœdientiæ. Quanquã enim meo patri istic essent ueteres nouiq; amici complures, & cum urbis celeberrimæ splendor, tum in illa ad profitendam & administrandam doctrinam opt. disciplinarum & artium congregatorum illustris fama & ipsum facile permoueret ut istuc mitterer, & me ad proficiscendum ualde impelleret: Nihil tamen prius aut potius fuit existimatione ex-

ne excellentiæ, & ſpe benignitatis tuæ. Atq; licet glorianti mihi affirmare, præſtitiſſe te, quod eſt rarum, ut canit Ouidius, conſtanter ad omne *Indeclinatæ munus amicitiæ.*

Sed de his narratio longior huic loco non congruit. Quod reſtat igitur precor et imploro æternum Deum patrem unicum, unici filij συναϊδίου λόγου Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut te & me, & omnes religioſe eum uenerantes, creſcere & confirmari tam annis quam intelligentia animi uoluntatiſq; inclinatione uelit & iubeat, ad nominis diuini gloriam, & publice communem, noſtramq; priuatim ſalutem, & ſi hoc eſt addendum dignitatem. Vale Lipſ. XIII. CL. Martij. Anno Chriſti Ieſu, M. D. LXII.



Ἦτο τριγωνῶδῶν, πατέρων ἄπο σῆμα κορωνῶν
τῶν καμεραριαδῶν ἐστι παβεργιέων.
οὐ μ᾽ ἄγαν πρίφημον, ἑοῖς γνωστὸν ἢ πολίταις
εἰς ἀριθμηθέισας τρεῖς τρὶς ἐτῶν γενεάς.
ἵλαος σὺ ἢ χρίς᾽ ὠλλοιπὰ τιθείς, ὅσα γ᾽ ἔσαι,
ἀιὲν ἔχοις πιστὸν τόνδε δόμον πελάτην.

Cornicum triquetræ ſunt hæc inſignia formæ,
Eſt Camerariadum quæ nota priſca domus.
Hic ubi adhuc Pabeperga ſuis ſtat nixa ruinis,
Cæſareaſq; ægre, quaſſa tuetur opes.
Non turpis nota, non opibus quanquam inclita. nouit
Annis ſed centum ter prope quam patria.
At tu Chriſte uoles quodcunq; adiungere tempus,
Quæſo clientelæ ſeruiat omne tuæ.

IOACHIMVS CAMERARIVS OPTIMIS ET DOCTISSIMIS VIRIS

Magistris bonarum artium, & Doctoribus Philosophiæ, in Tubingensi Academia, amicis suis carissimis,

S. D.

CVM TANDEM ABsoluissem (multa enim impedimenta multæque moræ illatæ fuere studio nostro) hos commentarios de ijs quæ pertinent ad exercendū stilum puerilis studij (siue progymnasmata seu Elementa exercitationesue Rhetoricas appellari placeat) uisum est editiõe nostra publicatos illos, in primis uobiscum communicare, qui essetis mecum in optimarum artium atq; disciplinarum tractatione, & philosophiæ cultu coniuncti, quam quidem ego pulcerrimam & maximam cõiunctionem esse duco: & nostras literas nostramq; professionem eam esse statuo, qua nihil in rebus humanis & in terris reperiatur maius, neq; melius. Id quod cum alij, tum nos ostendere sæpe conati sumus, & de dignitate studiorum nostrorum nuper copiose in cœtu discipulorum nostrorum

rum disseruimus. Quamuis autem parui hæc, uel minimi potius fiant a quibusdam, ambientib. nimirum splendorem & amplitudinem maiorem opulentiæ & potentiæ: nobis tamen in hac persuasione omnibus uiribus contendendum est, ut tueri ipsa & defendere aduersus imperitorum iniquitatem, utq; ab his barbariæ furorem propulsare, ipsiq; adeo nos sustentare possimus. Decet itaq; nos mutuis animis, & uoluntatum similitudine coniungi atq; conciliari, & hunc ordinem, ut dicitur in Cistellaria, esse

Benevolentem inter se, beneq; amicitia utier.

Et isti magni magnarum, ac diuites locupletium artium professores, si inter se consentiunt, cum (libet enim & alia quædam de eadem fabula huc transferre)

" *— tam sancte amicitiam colunt,*
" *Atq; eam iunctam bene habent inter se,*
" *Si idem istud nos faciamus, si idem imitemur,*
Ita tamen uix uiuimus, cum inuidia summa:
Suarum opum nos uolunt esse indigentes,
Nostra copia nihil uolunt nos potesse,
Suiq; omnium rerum nos indigere,
Vt sibi simus supplices, eos si adeas,
Abitum quam aditum malis, ita nostro ordini
Palam blandiuntur: clam si occasio usquam est,
Aquam frigidam subdole suffundunt.

Quæ quidem ab illa quamuis non admodum proba anu, recte tamen præcipiuntur humilitati ac impotentiæ: cuius ista mala siue laudabiles seu uituperandas professiones inua-

sere,

fere, accidit enim utriſq, nihil his relinquitur conſilij neq; auxilij, niſi in concordia & conſenſione, & animorum uoluntatumq; atq; operarum communitate, aduerſus ſuperbiæ elationem, quæ eſt in minus eruditis perquam intolerabilis. Non ſolum enim ideo nihil eſt imperito homine iniuſtius, quia niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat, ut ait Terentius: ſed quia nunquam etiam fere ſatisfit faſtidio illorum, & quicquid alijs tribuitur, hoc ſibi detrahi putant. Verum quid indoctis dico, & alienis ab ijs ſtudijs quorum proprium eſt pulcerrimum nomen humanitatis, noſtras artes diſplicere atq; ſordere? Cum iam a doctis, ut haberi uolunt, quibuſdam harum elegantior iſta, & reuocata ab antiquitate & autoribus ipſorum tractatio elaboratioque deſpiciatur, & a philoſophiæ quaſi ſubtilitate atque acrimonia ſeparetur. Quibus quidem philoſophia, ut uidetur, quidquis potius ſignificat, quam ſapientiæ ſtudium. Aut aliud hi ſapientiam eſſe ſentiunt, quam omnium ſapientum *ratio atq; præceptio docet. Quid enim eſt obſecro ſapere, quam quod unaquaq; de re teneri comprehendiq; poteſt, id non ſolum apte & ordine quodam mente animoq; concepiſſe, ſed ſcire etiam atq; poſſe uerbis diſertis & oratione conſentanea explicare?* Quæ ſunt autem quæ de quaq; re teneri poſſunt, niſi ea quæ enarrare & effari, alijſq; interpretatione linguæ exponere conceditur? Itaque illos minuta & amputata & infracta, tum uero ſpi-

nosa & impedita sentientes, ea autem utentes elocutione ut uaticinari uelle, aut furere potius & delirare credas, nunquam uerius philosophos dixero, quam uel ob unam luculentam sententiam bonis & significantibus uerbis expressam, quemlibet de pœtarum ueterum, uel sane etiam nouorum, numero. Quid enim, an hæc de fontibus philosophiæ non profluxisse existimandum?

Principio cælum, ac terras, camposq; liquentes,
Lucentemq; globum lunæ, Titaniaq; astra,
Spiritus intus alit. — &c.

Quid hoc? *— Furijs exarserat atro*
Felle dolor. — Et hoc?
His agitur furijs, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Quam multa de alijs pœtis, præsertim Homero, præclara & eximia, quam ab alijs autoribus utriusque linguæ adduci memorabilia facile poterant? Sed non opus est in præsentia pluribus. Scio etiam quæ nam illi admirentur, & egregia ducant: quæ nimirum neq; intelligi qualia sint, neq; explicari uel cogitando uel dicendo posse uideantur: quib. neq; priuata, neq; publica uita adiuuatur: non domus singulæ, non ciuitates augentur: non quisquam ipse se, non suos recreare subleuareue potest. Hæc igitur ipsis relinquamus. Nam de oratione, quam sapientem audent appellare, illa incerta & fallace, ita res se habet, ut cum præclarissima fuerit, tum se ut polypus fibras suas, ita ipsa adedat atque conficiat. Exilia uero & tenuia

tenuia illa, quæ ſubtilitatis & acrimoniæ nominibus exornant, ſunt illa quidem neq; tenuiora, neq; magis preſſe euoluta, neq; inobſeruabilius implicata, quam telæ araneolorum: quæ tamen quem uſum habent, aut quis omnium magni facere conſueuit? Quin hoc etiam præclare dicitur, limam ſæpe nocere: & ueratrum, ſi comminutum & contuſum detur, letiferum putatur, quod alias ſalubriter purgare corpora ſolet. Hanc igitur orationem talem licet is amet, qui illa forte non odit: atq; idem, ſecundum poëtam, iungat uulpes, & mulgeat hircos. Nos uero ſplendorem & decus, & iſtam admirabilem ac diuinam ſpeciem noſtrorum ſtudiorum, nolimus non ſolum præ obſcuritate & deformi quadam imagine barbariæ negligere, quod nefas dictu arbitror, ſed ne conferre quidem cum illa, ac per ſe potius amplecti atq; colere. Neq; comminuamus ingenia & induſtriolam puerorum noſtræ fidei commiſſorum, in quædam futilia atq; inania ſimulacra ſapientiæ: nec in ſcholis atq; umbra quadam ſtudiorum, ad difficiles res & caliginoſas quaſdam, minimeq; neceſſarias deprimamus, non illos rixari de lana caprina, ut aiunt, doceamus. Sed erigamus oculos, atq; mentes teneras, ad conſpectum ueræ ſapientiæ & uirtutis: & ad lucem intelligentiæ, quaſi ſolis, fœtus quoſdam germanos aquilarum admoueamus, pręparemuſq; ad uitæ honeſtatem atq; decus, ad actiones laudis, ad recta conſilia, de quibus etiam ij euadant,

qui regere aut ipsi imperijs populos, aut rectoribus horum comites sociijq; esse possint. Sentio quam glorioſe hæc dicantur: sed in ueritate, ioci quorundam imperitorum facetias consectantum, formidandi non sunt: cum præsertim, quamuis minus forte in hoc labore euentus respondeat expectationi, hi tamen conatus pulcerrimi sint futuri. Quapropter communicatis operis hoc agamus, ut aut horum temporum homines uel inuiti, aut posteri, si tanta nos manet felicitas, libenter fateantur atq; prædicent, ea nos suscepisse atq; tentasse, quæ si mediocrem fauorem beneuolentiamq; hominum, quasi uentos secundos habuissent, cum scholarum administratio præclara, tum alumni harum ad rempublicam gerendam idonei existere potuerint. Nostrum autem omnino studium propositumq; ut quis quam uituperare audeat, uerendum nobis non est. Cum si quis faciat, simul se ipse omnis inhumanitatis & illiberalitatis reum faciat, atq; adeo uel stultitiæ uel immanitatis condemnet. Non quæramus, neq; curemus, uel qui euentus futurus, uel quid homines de nostra opera & his conatibus locuturi sint: cum illum nemo unquam prudentiæ præstandum, neq; etiam a uirtute curandum esse censuerit: hominum autem sermo is soleat esse, qui sunt ij a quib. habetur. Boni igitur, neq; stulti ac futiles, nunquam aliter quam præclare atq; splendide de proposito & cultu honestatis loqui poterunt, ita enim sentiunt; Nihil illa pulcrius,

crius, nihil speciosius, nihil esse in rebus humanis diuinius. Hanc autem sic profecto ornat atq; extollit eruditio doctrinæ, ut sine hac splendorem & famam illustrem, & illam insignem gloriam conseruare non posse uideatur. Improbi uero & stolidi, quid uel per inuidiam uel ignorantiam dicant, quem obsecro mouere debeat? Sed ut ad rem ipsam, unde, ut animaduerto, paulo discessi longius, reuertar: Habetis nunc a nobis rationem quandam nostram introducendæ adolescentiæ in uiam magis popularis, minusq; ueluti latebrosæ cuiusdam eruditionis, in usu & exercitatione cum intelligentiæ, tum etiam eloquentiæ, quæ tamen (ut in procœmiolo huius libelli cum hoc, tum alia quædam de nostro scripto disputamus) separari nequeunt. Vestrum erit, si probetur hæc nostra demonstratio, & illam studiose diligenterq; persequi, & pro re atq; tempore & captu discipulorum moderari. Nam in administratione, & ueluti applicatione uestra, omnino situm erit plurimum. Meum laborem autem atq; curam, quicquid fiat de alijs, in optimam partem accipere uoletis. Valete: & quod facitis, optimarum artium atq; disciplinarum studia colere, prouehereque & ornare pergite.

III. Id. Iunij, Anni a Christi salutifero partu,

M. D. XL.

PROOEMIVM.



VM SIT IN RATIONE studiorum huius scholæ propositum, non modo Dialecticum disputandi excercitium, sed Rhetoricum quoque orationis Latinæ, bonæ, aut saltem, ut his temporibus, tolerabilis, uolui sæpe studiosis literarum humanitatis hac de institutione exponere sententiam doctorum, qui illius autores fuissent, ut in re noua aliorum admiratio, aliorum dubitatio tolleretur. Sed hoc quo minus hactenus a me factum sit, uaria & multiplicia impedimenta obstiterunt proposito & uoluntati meæ. Nunc autem in optima spe, nonnullis illorum, atq; ijs præcipuis aliquantisper me cariturum: id quod hunc usq; ad diem distulissem, in manus sumere decreui, & augere etiam quasi cumulo quodam, non solum ut de his excercitijs aliquid disserem, sed etiam ea ut tractarem atq; usurparem experiendo uobiscum. Cum autem omnium artium excercitia (libenter enim usitato uerbo iam utor) nihil aliud sint quam usus præceptorum, de his ante omnia in genere utriusq; dicendum aliquid putauimus, ut ita ad ea quæ potissimum indicatione nostra uos cognoscere uellemus, deduceremur. Constituendum igitur

in primis et ponendum hoc quod est certißimum, non posse perueniri ad noticiam ullius artis, nisi per uiam præceptorum: quam siue quis non ingressus sit, seu minus tenuerit, quamuis interdum ingenij quadam diuinitate admirabilia opera ab hoc elaborentur, tamen a constantia & ueritate artis illa abesse necesse sit. Sed ut hoc itinere præceptorum ad artis ipsius conspectum & notionem deferimur, ita perfectio huius & facultas in usu omnis consistit, quo efficiantur ea quæ præcepta iubent atque monstrant. Hæc pars exemplorum est, quæ generalem doctrinam, singulari quadam ratione atq; definitione explicant. Vt ad omnium effectionum opinionem atque spem hæc duo coniungenda esse uideantur, non solum ut neutrum omittamus atq; negligamus, sed ne separatim etiam ambobus utamur, neue non copulatim unumq; post alterum aggrediamur. Quemadmodum enim uiatores, integris pedibus ambobus, alternis motibus illorum breui tempore non parua spacia conficere cernimus, in quibus loripes qui altero tantummodo pede expedito uteretur, diutißime hæsisset: ita eum qui non insistere in artibus, neq; in progrediendo remorari uult, his duobus pedibus niti atq; tendere ad finem oportet. Sed hoc loco & illud cogitandum, omnium rerum quantuncunq; excellentium & magnarum principia esse quædam de quibus illæ crescere, quasiq; exaggerari soleant: neq; quicquam reperiri, quod non aliquando se minus atq; exilius fuerit. Hoc

cum

cum in ijs quæ natura gignit ac producit euidens est, tum quæ illam sequuntur, artes probant atq; ostendunt. Etenim uniuersa de origine sua paulatim adolescere & augeri, deniq; & robur assumere uidemus: ut arbor procera de quantillo surculo existit? amnis uero qui alicubi naues uehit, ad caput fonteſq; suos mulierc ularum pedibus transitur. Iam hominum, ut cæteras animantes prætream, ortus & incrementa neminem latent. Atq; hunc illæ, quæ, ut dixi, artes naturam imitantur, eundem ordinem seruant ac custodiunt. Nam quemadmodum Pausanias, Themistocles, Epaminundas, fortißimi Græcorum duces, & fletus edidere aliquando, & incertis paßibus ingredi tentarunt: ita maximus orator & literas quondam didicit, & inter initia sermonis hæsitauit. Quapropter sapientißimi ueteres, qui nisi per gradus quosdam ad illa fastigia artium conscendi non posse uidissent, ipsarum artium rationes & uias diligenter scrutati, in eas demonstratione hac ordinis inducere cupidos atq; amantes illarum studuerũt. Vt enim admirabile & diuinum uideretur, si loqueretur statim infans, aut fruticaretur modo insitus surculus: ita in quacunq; arte subito & repente clarum, nisi forte diuinitus, aliquem existere posse, non est credendum. Sed nos alias nunc prætermittamus: dicamus autem de hac siue arte, seu facultate, seu etiam ui atq; copia orationis mediocris, eaq; sane & in hac nostra tenuitate ampliſsimo nomine eloquentiæ appelletur:

& eam ipsam esse susp̃icemur, quæ tantam gloriam atq; dignitatem conciliarit ueteribus. Ad hanc igitur quanta cura ac attentione ab ineunte olim ætate instituti atq; imbuti fuerint pueri, in hac, de qua diximus, præceptorum atq; usus coniunctione, nemo qui monumenta scriptorum illorum frequentat, ignorare potest. Declarant tamen hoc ea maxime, quæ ab huius artis professoribus uiris eruditißimis tradita ijs de rebus habemus, a Græcis προγυμνάσματα sua uoce, a Latinis primordia dicendi nominata. In quibus prius ad Rhetorem quam mitteretur puer, usq; adeo necessariam posuere excercitationem, ut non magis cognitionem literarum ad lectionem pertinere, quam eloquentiam hunc ludum requirere, statuerent. Atq; ut Musicus is habetur, qui illos admirabiles & plane cœlestes concentus uocis sonorumq; intelligit, atq; ipse etiam edere potest, neq; tamen prius non hunc didicisse atq; tenere communia discrimina uocum necesse est: sic eum qui hæc elementa neglexisset, frustra in omni eloquentia sudaturum esse censuerunt. In quo studiorum genere hoc amplius nobis quam illis considerandum est, quod non modo sermonis eruditionem atq; hanc elaborationem disertæ & elegantis orationis, sed ipsius linguæ intelligentiam cognitionemq; comparare nobis propositum sit. Nam a ueteribus illa percultio atq; exornatio patrij fuit oris atq; locutionis, nos autem ut in his externis atq; alienis excercemur: quodq; illi egerunt ut uernaculo

Græco

Græco Latinoue sermone quam elegantißimo atque optimo uterentur, nos primum annitimur, omnino ut poßimus: deinde quoad licet ueterum excellentiam atq; uirtutes consectamur & imitamur. Sed hoc etiam loco de his studijs, quæ potißimum in sermone & locutione spectantur & eminent, contra quorundam prauam falsamq; opinionem nonnihil dicendum uidetur. Fecimus idem alibi, sed nunc etiam non peraperam, neq; sine caussa nos esse facturos arbitramur. Multi putant hæc studia, quæ humanitatis bonarumq; literarum uocamus, nihil esse aliud quam uerborum inanem strepitum, & loquacitatem quandam. Qui uero magis propicij sunt, ij & fatentur horum esse copiam atq; facultatem de omnibus dicendi luculente & præclare, ornateq;, quocunq; in argumento uerseris, & quamcunq; rem susceperis exponendam & splendore atque dignitate nequaquam carere nobis concedunt, sed utilitatem habere nullam, ut qui in his industriam suam occupare & tempus consumere uoluerit, is precium operæ suæ facturus non esse uideatur. Hæc longe aliter se habent. Qui enim nostris literis, & ijs quas dixi artibus finis constitutus est, is omnium bonorum summam, quæ quidem rebus humanis & in terra præstantur, complectitur: atque hunc qui attigit, tantum consequitur, ut quasi Deus quidam inter mortales existimandus sit. Primum enim & peruulgatum & certum hoc est, sermone homines a feris & bestijs potißimum differre atque

distingui. Hæc autem ipsa laus præstantiæ non mediocris, nondum eximia est: cum ipsæ bestiæ quoq; sonorum inter se discrimine quodam discernantur, & auiculas quasdam humanas uoces proferre audiamus. At tum demum hæc propriam homini res & maximam ueramq; gloriam affert, illumq;, quem aiebam, ueluti mortalem deum efficit. si ille usus sermonis ratione ac sapientia instructus sit: non ut temere atq; fortuito personet, sed ut loquatur, quo quidem uerbo siue de Græco, ut opinio mea fert, deflexo: seu a loco, ut Varro docet, deducto, significari hæc singularis excellentia uocis humanæ uidetur, in qua consilium sit, & electio, quæ non magis iam in bestijs reperiantur: ita ut qua parte sui genus humanum diuinitatis maxime est particeps, ea potißimum efferatur atque emineat. Quod cum fit, non iam is est sermo, qui tanquam in palato nascatur, sed qui ex pectore quasi fonte scaturiat atq; erumpat. Videtis igitur disertos, non tam dicendi quam sapiendi scientia atq; arte claros, neq; tam facundos quam prudentes a nobis produci: itaq; sunt re ipsa. Neq; separari hæ uirtutes ullo pacto possunt: uel est hæc potius ipsa una uirtus, atq; ea una quædam de summis uirtutibus, ut ait Cicero, cogitandi rationem pronunciandiq; facultatem coniungens atq; deuinciens, quam ueteres Sapientiam appellauerunt. Ac est quidem tali natura, quali hominem præditum constat, ualde indignum, suis bonis uti aut nescire, aut nolle: & hanc uirtutis speciem, qua

qua nihil ipsis contulerit Deus neq; formosius neq; illustrius, respuere, aut certe contemnere atq; negligere. Neq; ego nunc eloquentiæ laudes canere instituí: sed hoc ostendere, eum finem, ad quem tendunt studia nostra, non esse, ut quidam falso opinantur, expertia maximarum commoditatum, multo minus (ut aliqui etiam dicere impudentißime audent) nihil esse aliud quam, ut illorum uerbo utar, garrulitatem, & quandam uolubilitatem linguæ, in qua stulta delectatio quæratur. Nam & eloquentia cum ab alijs laudata est, tum patronum minime secundum nos requirit: & nobis quasi detergere infamiam illam studiorum nostrorum, atq; iniuriam si posßimus propulsare, satis fuerit. In quo quidem, quantum poterimus assiduitatis atq; laboris, cupide impendemus: euentus autem fortunam, ut debemus, Deo sumus permissuri. Sed ut de re proposita nunc etiam paulo plura dicamus, habet eloquentia nomen illa quidem, quod magis ad oris quam mentis culturam pertinere uidea tur. Sed qui expendere uolet, & in uerbo significationem prudentiæ, & in re incredibilem pulcritudinem, atq; maximam uim animi ineſſe animaduertet. Nam primum quidem manifestum est, quamuis temerariam orationem & ineptam nisi de aliqua animi conceptione enunciari non posse. Quod etsi uulgus non considerat, multa tamen indicio sunt, quibus hoc etiam imperitißimis persuadeatur. Et infantes enim cum animantes aliæ statim edant suos sonos, nisi

forte tenuiores, neq; per ætatem adhuc ſatis, ut par eſt, plenos: infantes igitur diu tantum uagiunt, ac ſero tandem balbutiunt neſcio quid, neq; ante rerum intelligentiam ad uerba & ſermonem perueniunt. Et homines amentes, quibus aut corporis uicium aliquod, aut animi perturbatio rationem impedit atq; obruit, uel uoce quoq; carent, uel muſſitant atque emurmurant aliquid: uel ſi quid etiam fari cœperint, obſcurum, incertum, diſſipatumq; illud efferunt. Ideoq; orationem diſertam & bonam atque elegantem de inſtructo optimarum artium ac rerum cognitione, & a prima ætate informato ad humanitatem uirtutemq; animo exiſtere atq; procedere neceſſe eſt. Idq; etiam nomen ipſum eloquentiæ innuit, cum non ſit ab illo, quamuis egregiæ laudis ſignificante, ut diximus, uerbo, Loqui, ſed Eloqui: quod nunquid aliud ualet, quam uerba electa & diſtincta ex intimis præcordijs promere, atq; per oris quaſi fores emittere? ut iam fieri aliter nequeat, quam ut is qui ſermonem ſuum fecit, ut eſſet omni genere ornamentorum ſpecioſiſſimus, ipſam mentem quoque diſciplinis omnibus atq; ſcientijs, id eſt rectiſſimis ac plane diuinis quaſi conceptibus compleuerit, de quibus illa laudata oratio, quam appellamus Eloquentiam, prodiret atq; oriretur. Quare cum uobis hæc noſtra ſtudia commendantur, tale tantumq; bonum commendari putare debetis, quo haud ſcio an humanum nullum aliud maius ſit, atq; dignius in quo obti-

nendo

nendo omnes nerui intendantur, omnesq; uires corporis ac animi adhibeantur. Qui enim loqui discit, is profecto non magis sermoni quam prudentiæ operam dat: nec in hoc laborat, dicere tantummodo ut commode, sed etiam ut recte sentire atq; sapere possit. Nunquam enim factum aut futurum est, ut stultus bene dicat, cum pectus (ut Fabius ait) sit quod disertos facit. Deniq; ueteres has appellationes sentiendi atq; sapiendi, cum illis loquendi & pronunciandi commiscuere, ut doctum uocarent atq; sapientem, dicendi peritum: disertum & facundum, eum qui animi ui & celeritate, qui consilijs capiendis præstaret. Et Græci uno uerbo locutionem & rationem notare solent. Atq; hæc ut natura connexa & unita sunt, ita nulla creditur gens præter Græcos & Latinos, hanc copulam irruptam tenuisse. Quas nationes duas constat, humanitate atq; iusticia, & uniuersis uirtutibus sic effloruisse, ut nihil pulcrius neq; amœnius fieri potuerit. Ac quandiu in hoc cursu perseuerarunt, facile ut probarent uirtuti omnia subijci atq; parere, & fuerunt ipsi fortißimi uiri, & reliquis nationibus ac populis terra mariq; uictores imperauerunt. Ex horum igitur linguis, ea de qua iamdudum uerba facimus, humanæ naturæ perfectio, & ingenij gloria, actionumq; claritas petenda & acquirenda est. Quo quidem in loco, duo in quæstionem uenire sentio. Vnum, An maiores etiam nostri, qui optimi & fortißimi uiri fuerint, doctrinæ adiumentis usos esse putandum

tandum sit: uel, si appareat hæc illos defeciſſe, num ijs quæ a nobis tam glorioſe de dignitate & præſtantia eruditionis huius prædicentur, illorum exemplum non repugnans, neq; contrarium esse uideatur. Alterum, Quomodo eloquentiæ deſtinatis in harum linguarum ſtudio uerſandum, & utram alteri præferendam conſeamus. Quorum prius in præſentia anxie atq; ſubtiliter exquirendum non uidetur. Hoc tamen dicam, in ea me esse ſententia, & ſic inducere animũ meum, non ita penitus literas doctrinamq; defuiſſe maioribus noſtris, ut uulgo putatur. Conſtat enim ſummum fuiſſe horum erga bonas artes, & eos qui docti haberentur, ſtudium atq; etiam obſeruantiam & cultum. Sed ut hæc, de qua tam ſplendide nunc loquimur, eruditio literarum & artium copia illis non contigerit, cum tamen bonitate naturæ & mentis diuina quadam ui ad uirtutem incitati, facile omni laudis excellentia præſtiterint reliquis nationibus, non etiam dubitandum esse exiſtimo, longe fuiſſe meliores & admirabiliores futuros, ſi ad illa ipſorum propria bona hæc etiam extrinſecus quaſi tranſmarina adderentur. Sed hoc iam relinquamus. Alterum explicandum est diligentius: in quo uideo quoſdam falli, qui capti ſplendore literarum Græcarum, & propter nouitatem uehementius illas admirati, ad eas perdiſcendas pueros ſtatim adduci oportere cenſent: imq; hoc confirmari opinionem ſuam putant ſententia Fabiana, qui uelit a Græcis

eis puerum incipere. Hoc autem primum de nostris pueris non recte accipitur: deinde haud scio an illa ueterum quoq; nimia Græcitatis cupiditas, Romanæ eloquentiæ grauitatem & decus debilitauerit atque labefactarit. Nos autem, ut opinor, non tam feliciter, incipientes discere literas pueros nostros ad Græcas quam Latinas admoturi simus. Nam qualiscunq; is est, Latinæ est tamen linguæ in loquendo scribendoq; usus aliquis nostris temporibus, & consuetudo quædam sermonis cotidiani: unde certe proprietatem eius linguæ certius perspici posse, & firmius teneri sperandum. Sed quamuis prope necessitate adigamur, ut doctrinam puerilem a Latinis literis ordiamur: tamen si etiam in re nihil esset uel quod cogere, uel quod hortari uideretur, ut ordinem hunc custodire uellemus, ipsa tamen literarum Latinarum dignitas, ac potius maiestas quædam mereri poterat principatum hunc studiorum. Nam quamuis non inficias eam, hanc ipsam Græcarum disciplinarum eruditione percultam, & artium copia auctam locupletatamq; fuisse: tamen ut certa flumina solent multorum aliorum aquis abundare, & nomina quoque una cum illis quasi absorbere, ut omnium celebritas in uno congregetur atque decurrat: ita Latina lingua Græci sermonis pulcritudinem, atque etiam copiam & elegantiam amplitudine sua omnem comprehendit atq; concluſit. Atque in hac disputatione nos morari diutius, & utranq;

linguam

linguam quasi in contentionem uocare dignitatis, non ferendum in nobis uidetur, qui in neutra non solum præstantes, sed ne mediocres quidem nos esse ingenue fateamur. Si quod tamen affirmare liceat atque concedatur nobis, qui a puerilibus annis in studio literarum magna assiduitate ad hunc usque diem uiximus, quiq; adolescentiæ bonam magnamq; partem in Græcis consumsimus, cum sit utriusque summa præstantia, splendor, dignitas, a Latina tamen quadam quasi uirilitate Græcam antecedi, non ueream asserere: & optima atq; præclarissima hac illam robustiorem quodammodo esse & uigentiorem, tum etiam ueluti lautiorem & præclariorem. Quod enim est omnium eorum quæ a Græcis & notata & illata sunt orationi lumina, quod in Latina ueluti lychni laquearibus aureis, quemadmodum Poëta ait, suspensi, uel tanquam speciosissima gemma in aurum indita, non multo emicet magis atq; uenustius? Quæ orationis uirtus cum in Græco sermone omnes alias externarum linguarum superet, in Latino non se etiam uincere uidetur? Quæ sententiæ non in hac quam illa clariores? quæ expositio non quasi stabilior & insignior? quæ ratiocinatio non certior atq; firmior? Sed uix poterit uenia in his audacter & indubitanter pronunciandis nobis dari. Itaq; interea hanc persuasionem tueamur: quam ideo ualere non fuerit absurdum, quod nihil sciamus in contrarium, & quo illa frangeretur, in medium prolatum

tum esse. Hæc autem nemo arbitratus sit eo pertinere, ut minus operæ dandum Græcæ linguæ, aut huic ignauius studendum esse uideatur. Fieri enim nequit, ut una sine altera non modo doctrinam & eruditionem optimarum artium absoluere, sed etiam ipsa cognosci atq; explicari possit: ut eum qui alteriusutrius scientia deficiatur, tanquam auem una ala reuulsa, euolaturum ad laudem doctrinæ sperandum non sit. Sed nos de principijs & ingressionibus doctrinæ nunc loquimur, quas oportere esse Latinarum literarum, ratio obtineret, atq; omnino uel necessitas, uel res ipsa, ut nunc est, suaderet: ut qui diuersum statuat, tanquam in errorem alios seuocans, audiendus nequaquam esse uideatur. Ideoq; & hæc orationis bonæ atq; elegantis primordia, & quasi partes, quarum collocatione eloquentiæ opus aliquod extrueretur: has igitur ab exemplis Latinis ordiri placuit, de quibus ad Græca deinde progrederemur. Quæ si quis maluerit elementa quædam Rhetoricæ nominare, ne is quidem, ut remur, a uero aberrauerit. Siue alicui magis placebit, artis hæc non esse neq; partem, neq; initia, sed præparationem, ne cum illo quidem erit caussa cur contendere uelle debeamus. Nam elementa hæc, ut literas lectionis, sic oratoriæ esse, non negari potest. Et uidentur etiam eiusmodi quædam esse, quæ oratorem non tam efficiant quam præparent: ut hæc quidem qui teneat, non etiam eloquens statim perhibendus, sed absq; his nemo eloquentia quasi potiturus

titurus sit. Quantum autem referat ad omnem perfectionem in hac uita, a teneris statim annis ad quarumcunq; rerum tractationem in qua aliquos excellere uelimus, assuefieri, etsi neminem fere fugit, & Fabius diligenter monuit, ubi etiam uersum Virgilianum commemorauit,

Adeo in teneris consuescere multum est:

tamen haud scio an uel cogitari uel dici de hoc melius quicquam rectiusq; nequeat, quam quod Plato elegantißime in primo libro de legibus ita ferme perscripsit. Atq; hoc affirmo, nulla in re fieri posse ut in singularem uirum aliquis euadat, qui non statim a puero cum ioco tum serio ea quæ cuiq; rei conueniant, tractet atq; meditetur. Vt futurũ agricolam ac fabrum, par fuerit hunc in ædificatiunculis puerilibus, illum in terræ cultura ludere: atq; etiam eum cui horum educandorum cura incumbit, oportebit exigua his & imitantia uera arma atq; ferramenta instruere. Præterea disciplinis necessarijs curare imbuendos, ueluti fabrum futurum mensurarum & perpendiculi: bellatorem, per lusum equitandi, atq; similium artium: ut per ludicra ipsa tentet pueriles cupiditates & delectationes eo deriuare, qua tendere ad finem propositi sui uelit. Atq; hoc caput esse aio liberalis institutionis, ut pueri uera ratione educentur, qua illorum ludentium animi ad amorem maxime inciteṫur eius rei, cuius elaboratio atq; perfectio constantis ætatis esse debeat. Hactenus Plato.

Hic

Hic igitur lusus est uel sapientiæ, uel eloquentiæ: nihil enim refert. Nam sicut quidam ueterum poëtarum fertur cecinisse, omnes Musas significari atq; exaudire, si una quælibet illarum inuocetur: ita utramcunq; illarum uirtutum nomines, altera quoq; intelligitur. Harum autem quasi in officina quadam doctrinæ, illa admirabilia & præclara opera ingenij & industriæ excuduntur, quæ in rerum tam publicarum quam priuatarum administratione & cura atq; actionibus omnibus conspiciuntur & elucent. De quibus dicere longum fuerit. Quare ad hæc quasi illorum simulacra & in ludum nostrum reuertamur. Hæc ergo nunc puerilia arma uobis in manus dantur, hæ asciolæ atq; dolabellæ, hi ligunculi ac rastelli ad exercendas optimas artes puerili studio ac labore submi-
nistrantur. His ipsis quicquid nunc effeceritis, quamuis adhuc a granditate ueri operis absit, eiusmodi tamen futurum est quod illius in sua paruitate imaginem atq; formam repræsentet. Hæc cum ipsi qualiacunq; infirmis adhuc manibus uersabitis, & quod qualecunq; licebit opus efficietis: tum interea autem illa grandia & præclara atq; ardua opera ueterum, uel demonstrata a magistris uestris, uel studio uestro animaduersa, cupide cognoscetis ac contemplabimini, & admirantes, inq; illis hærentes oculis & animis totis, spectabitis: & ut perspicere quoq; possitis, opera a uobis dabitur.

His breuiter disputatis, de operib. eloquentiæ puerilibus,

rilibus, deque præstantia uirtutis illius: sequitur ut ipsam etiam rem quam agendam suscepimus, uobis proponamus & explicemus. Atq; extant de hac ipsa apud Fabium notationes quædam insignes, sparsim etiam cuiusmodi rationem istam esse oporteat Cicero demonstrauit. Græci autem Aphthonij cuiusdam pleraq; collecta, & uno libello exposita feruntur: qui, ut apparet, uoluit hanc uiam sternere lectioni atq; intelligentiæ, Hermogeniæ artis. Nos & quæ indicata ostensaq; a ueteribus potuimus deprehendere, eorum nullum subtrahemus usui diligentiæ uestræ. Et insuper de repertis alia uestigantes, omni modo annitemur, ut hæc initia studiorum, quoad fieri poterit, quam certissima, quamq; plenissima habeatis. Vos autem non deseretis uelut iardorem meum studio uestro, sed me præeuntem strenue consectabimini: & quæ fuerint quoq; tempore uobis proposita, ea stilo uestro frequenter uersabitis, ut & ingenium, si cui est hoc modicum, & hæc quasi paupertas nostra inopia bonarum artium reliqua ab illis diuitijs & copijs antiquorum, crebritate experiendi compensetur. Quod si quis scribendi perpetuum quendam laborem fugerit, quid huic sperandum fructus de studijs sit? cum non scriptionibus dicendi ipsa facultas iam adiuuetur & contineatur, sed hæc tota in illis consederit, unde non iam in forum & cœtus populi, sed in scholas atq; doctorum conuentus excurrat. De nobis enim noto & ueluti familiari usu eloquentiæ, non de huius illis

maxi-

maximis effectionibus & spectatissimis operibus nunc loquor. Scribetis igitur multum, uel potius semper, neq; parcetis stilo, neq; illum obsolescere patiemini. Nam quicquid laudabile uos de nostris studijs adepturos speratis, hoc stilo totum conficiendum paranumq; uobis esse scitote. Sed ad rem. Fabius hæc fere primordia dicendi, ut ipse uocat, numerat, & Grammatici officio atque curæ attribuit: Fabellas Aesopicas, Paraphrases, Sententias, quæ sunt γνῶμαι, Chrias, Ethologias, Subiectiones & exquisitiones rationum, eorum quæ in scriptis ueterum reperiantur.

A Cicerone de paraphrasi dissentit Fabius, sed de hoc postea uidebimus. Ipse autem Cicero quamuis exercitationes has grandioribus & quasi adultis oratoribus proponat, a nobis tamen eædem ad hunc modum, quem diximus, puerilis excercitij, apte & utiliter accommodabuntur. Sic autem ille libro de Oratore 1. Legendi etiam poëtæ, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores & legendi & peruolutandi, & exercitationis caussa laudandi, interpretandi, corrigendi, uituperandi, refellendi, disputandumq; de omni re in contrarias partes, & quicquid erit in quaq; re quod probabile uideri possit, eliciendum atq; dicendum. In his iam ea sunt quæ uult Fabius prima esse apud Rhetorem excercitia, & a Grammaticorum doctrina separat. Quæ nos tamen ordine sic tractabimus, ut hoc tempore & hac studiorum ratione in uno quodam ludo distincte

proponentes, paulatim a minoribus ad maiora progrediamur, in quam seriem atq; continuationem qui operam dare suam uolēt, hoc consequentur, ut in nulla parte eloquentiæ penitus infantes reperiantur: quod hac in tenera eruditionis ueluti herba satis nobis esse debebit. Ordiemur autem a fabula, quæ ut prima esse inter pueriles exercitationes propter simplicitatem debet: ita narrationis puritas & elegantia (quæ sola est uirtus huius generis) omni ætate atque progressionib. maximis percolenda est: quæ tamen nunquam præstatur ad quendam quasi uernaculum modum & scientiam certam, nisi in primis uel annis uel studijs quadam tanquam nudi sermonis proprietate uti consueuerimus. Quod quale sit, non tam plane dici potest, quam intelligitur ab ijs qui hac cura composuerunt primum in discendo orationem suam, & linguam ueluti expurgarunt, qui in doctißimorum etiam uirorum, eorumq; admirabili studio & industria præditorum scriptis, non pauca deprehendunt incorrectiora & minus emendata. Sed nos susceptam rem peragamus. Ac uidentur repetenda paulo altius quædam, quo melius & utilius hoc pulcerrimum exercitium a nobis explicetur.

Omnis sermo uel est alicuius rei narratio, uel narrationis aut proœmium, aut consequens & adiunctum, quorum hoc posterius multiplex est: quod in præsentia, alieno scilicet loco, ut prius quoq;, quamuis simplicius, explicaturi non sumus.

Narra-

Narratio uero est, ut Cicero luculente definit, rerum gestarum, aut ut gestarum expositio. Hac notione omnia quæ narrantur intelligimus, siue uera sint, siue quocunq; modo ficta atque falsa, seu mista etiam ex his atq; confusa Verarum narrationum (uoco autem ueras, in quibus nulla suspicio mendacij inesse debeat) duæ sunt formæ: una, quæ est caussæ atque rei de qua agitur, quædam generalis expositio: altera, quæ assumitur in parte ea orationis, quæ adiungitur huic, & eam consequitur, confirmans & adiuuans ac augens, atq; huiusmodi narrationes extra caussam uidentur esse.

Fictæ narrationes sunt duplices, aut enim ficta a communi rerum natura & quotidiano usu uitæ non recedunt: ut argumenta comœdiarum,

Duos cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Mitioni fratri adoptandum Aeschinum.

Aut abhorrent a captu sensuq; hominum, & ueri etiam similitudine carent: ut sunt fabulæ Tragœdiarũ,

Ioue satus, ut ferunt, uetus ille Tantalus,
Saxi imminentis uertici exanimis metu,
Sublimis aĕre uolitat.

Et quod ait Iphigenia Taurica,

Cumq; Aulida esset uentum, ego misera in rogum
Sublimis illata, ense uerberabar, hic
Me subtrahit neci Diana clanculum,
Cerua Pelasgis ad mactandum reddita,
Et Taurica me hac in regione collocat,

Vbi barbarorum imperio potitur barbarus
Thoas, uolucres pedibus qui prævortitur.

Huiusmodi sunt quæ & Aesopicæ uocantur: in quibus saxa stirpesq; loquuntur, & animantes omnes sapiunt, nihilq; fere est quod non facile intelligatur aut fieri non potuisse, aut factum esse nunquam.

Inter hæc quasi mediam ponere historiam libet: quæ etsi habet quandam ueritatis legem, ut mentiri non debeat, tamen multa recipit ficta ad ueritatis & explicationem & ornatum, atq; etiam ad utilitatem & institutionem auditorum composita, ut exempli caussa, hoc apud Herodotum: nam est talibus pulcerrimis fabellis plenus ille autor. Cum frustra in Sardium oppugnatione defatigarentur copiæ Cyri: tandem Mardus quidam Hyrœades nomine, tentauit euadere in arcem, qua parte uacua illa a defensoribus cernebatur. Nam minime eo quidem loco periculum esse ne caperetur, uidebatur. Est enim præcipitium ingens, & quod insuperabile dicas. Atque hac etiam Meles, unus de antiquis regibus Lydorum, circumferre neglexerat leonem, editum partu unius de concubinis suis, cum statuissent Telmissensium uates futuras inexpugnabiles Sardes, si leo ille circum muros latus fuisset. Atq; Meles quidem circumquaq; tulit illum, ubi oppugnari mœnia posse apparebat, neglecta hac parte, qua propter præcipitium insuperabilis arx uidebatur. Spectat autem hæc urbis pars fluuium Timolum. Inter uera, commentum insertum

sertum est de leone edito mulieris partu. Quis enim hoc credat accidisse, ut mulier leonem pareret? Neq; non sunt ficta pleraq; in historijs rerum gestarum consilia, & occasiones. Item conciones, atq; adeo administrationes ipsæ. Neq; enim ut facta dictaq; sint a Romulo, quæ commemorat Liuius, ita facta certe sunt, & eo modo dicta, quo ille exposuit. Quin etiam totas historias rebus nominibusq; in illo epidictico genere compositas scimus. Qualis est illa Heliodori, & Apuleiana, & plurimæ Gallicæ atq; Italicæ nationis. Nam Teutonica lingua hoc genus extra numeros & poëticam non eduxit.

Hæc distinctio nobis apta fuit, & idonea ad docendum uisa: etsi cum aliorum traditis non congruit, sed nouitatem quandam habet: a qua si commoditas doctrinæ non abest, non est cur quispiam abhorrere patiatur animum suum. Sed nunc superiora repetentes, in ordinem quendam redigamus Narrationum species, nam excerceri in omnibus studiosos oportet. Princeps igitur habebitur Fabula, quæ dicitur Aesopica. Secundum locum tenebit, Expositio rerum positarum in communi uita, & cotidianis moribus: quales sunt Comœdiarum & Mimorum. In hac & Colloquia, & quos Græci Dialogos uocant, includemus. Nam in his maxime spectatur ea narratio, quæ in personas est sparsa. Tertia erit poëtica fabula, aut similis huic narratiuncula. Quarta, historica expositio. Quinta, uera narratio causſæ.

DE FABVLIS AESOPICIS.

QVas fabulas Aesopicas dici consuetudo obtinuit, quædam sunt narratiunculæ compositæ ad manifestam speciem falsitatis (quamuis interdum quod narratur, fieri potuisse uideatur) sed sub qua lateat atq; occultetur utilis institutio, præceptio, correctio, obiurgatio, reprehensio, doctrina. Græci fere hæc uno uerbo παραινέσεις uocant. In hoc genere & excogitandis & accommodandis fabulis ad eam rem cuius caussa conficta esset, in primis ualuisse Aesopum Phryga natione accepimus. Vnde factũ, ut huiusmodi omnes narrationes ad illum quasi autorem referrentur, cum ipse nequaquam primus usurparit: nam est antiquissimum hoc inuentum, extatq; fabula apud Hesiodum de Luscinia & accipitre: & usum fabulis Archilochum contra Lycambem traditur, qui uixit Gygis Lydorum regis temporibus, ante Aesopum, qui Crœso regnante floruit, annis amplius CLX. secundum Herodotum. Ac dixit Græcorum quispiam sane belle, pariter facere eos qui autorem fabularũ, hoc est eum qui primus hoc genus usurparit, exquirant, ac si quis studeret reperire eum qui primus sternuisset, aut screasset. Pertinent autem huc omnes fabulæ, quæ propter compositionis aut gentis diuersam rationẽ, cum unius generis essent, diuersas appellatiões sortitæ sunt, ut blandiores, Nutricum: ut Sybariticæ & Cypriæ, obsceniores: Ciliss & Libycæ, callidiores, ut suspicor.

Aegy-

Aegyptiæ autem mysticæ fuerunt & allegoricæ, cuiusmodi et apud Platonem leguntur. Sed hæc minus ad rem susceptam pertinent. Hoc cognoscendũ, quomodo ueteres usi fuerint, et imitandum nobis studium illorũ. Triplex igitur ratio est tractandæ fabulæ. Prima, cum ad rem aliquam propositam adijcitur & applicatur narratio: ut habeat & proœmium, & consequens seu adiunctum. Altera, cum non proponimus, neque præfamur eam rem ad quam accommodaturi narrationem sumus, sed hac sine proœmio exposita quasi interpretationem quandam subiungimus. Tertia, cum sola fabula utimur, sic pertexta, ut quid intelligi uelimus appareat. Prima ratio, quæ & illam propositiunculam, & conclusionem habet, quarum altera προμύθιον, altera ἐπιμύθιον uocatur, est in usu creberrima, & tractationi aptissima, & maxime idonea exercitio studiorũ. Vt si quis proponat, utilissimum esse iuuentuti laborem, & inferat narrationem de formicis & cicadis, concludatq; fieri solere ut egeant senes qui iuuentam in ocio traduxerint. Hoc modo. Plane res est detrimentosa ocium & desidia in iuuenibus, quos a tali uita eadem manet fortuna, quam cicadas fuisse expertas Aesopus perhibet. Nam uerno tempore perpetuis cantationib. occupabantur, inquit, cicadæ: formicæ uero labori studebant, ut colligerent grana, quibus per hiemem alerentur. Ac iam hiems aduenerat, fruebanturq; formicæ quæsito cibo: ac uoluptas cicadis in penuriam & miseriam con-

uertebat. Cauebunt igitur adolescentes, ne opt. annis per uoluptates consumtis, cum nihil sit ad deteriorem ætatem senectæ præsidij comparatum, delectationis uanissimæ grauissimas pœnas pendant. In secundæ rationis fabula etsi non exprimitur προμύθιον, de conclusione tamen semper intelligi solet. Talis est Liuiani Agrippæ de seditione membrorum corporis humani. Sic enim Liuius. Intromissus in castra, prisco illo dicendi & horrido modo, nihil aliud quam hoc narrasse fertur. Tempore quo in homine non ut nunc omnia consentiebant, sed singulis membris suum cuiq; consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio uentri omnia quæri, uentrem in medio quietum nihil aliud quam datis uoluptatibus frui, conspirasse inde ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum uentrem fame domare uellent, ipsa una membra totumq; corpus ad extremam tabem uenisse, inde apparuisse, uentris quoque haud segne ministerium esse, nec magis aliquam alere eum, reddentem in omnes corporis partes, hunc quo uiuimus, uigemusq;, diuisum pariter in uenas maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum. Hæc nonnunquam includitur in narrationem ipsam: ut apud Hesiodum accipiter, qui introducitur gestans lusciniam correptam ungulis, sic ait. Stulte facere eum, qui nitatur

contra

contra potentiores, nam neq; superiorem illum esse posse, & ad miseriam sibi derisionem adiungere. Hoc igitur præcipi uidemus, ferendas etiam iniurias & uim potentiorum, & ad illorum sæuitiam mussitandum: nihil enim proficere uociferationes.

Vt si quis ita narret, itaq; usurpet Platonicam de cicadis fabulam. Cum carmina primum proferentibus Musis cognita ab hominibus fuissent, erant qui tam incredibili & infinito studio illorum tenerentur, ut præ his non modo nihil rerum necessariarum curarent ac respicerent, sed ne uacarent quidem cibo sumendo. Quorum, deorum aliquis misertus, attenuatos fame & uigilijs atq; assidua occupatione carminum, in cicadas fertur mutasse, ut cupiditati illorum nihil unquam deesset, cum præter uocem fere nihil, quo uita intelligi posset, haberent: corpus autem eiusmodi, ut minimo cibo duraret, itaq; rore pasci atq; uiuere cicadæ putantur. Hac fabula monemur, leuitatis & negligentiæ exitus esse conuenientes factorum & uitæ anteactæ. Quis autem non etiam intelligit, ut cupiditatibus suis quisq; moderetur, quamuis non dicatur, innuere tamen fabulam? quod ut προμύθιον proponi potuerat. Atq; huius formæ pleræq; omnes sunt illæ, quæ pro Aesopicis collectæ uno libello circunferuntur.

Tertia forma fabularum est, eorum qui a Græcis proprie ἀπόλογοι, uel αἶνοι nominantur: quæ narrationes intorquentur plerunq; in obliqua significa-

tione sententiæ & uoluntatis nostræ, & oportet esse eiusmodi, ut manifestum de illis fiat quo tendere, quaq; significatione accipi uelimus. Harū exemplum & illa esse potest apud Hesiodum, quam paulo ante retulimus: & in Odyssea Homeri narratiuncula facti Vlyßis, quo algenti lænam ab altero obtinuisse dicitur. Et illa insignis apud Herodotum, qua Cyrus utitur, cum Aeolenses & Iones, quos ante contra Crœsum frustra solicitasset, ad ipsum uenissent, ultro subijcientes se illi legibus eisdem quibus dudum sub Crœsi imperio fuissent. Cyrus igitur audita oratione horum, narrauit illis talem fabulam. Tibicen, inquit, conspectis in mari piscibus, tibiam cepit, & clare cecinit, ratus hos ad numeros in littus progressuros esse. Quæ cum illum spes frustrata esset, arripit rete, & magnam copiam piscium comprehendit, cumq; illos uideret expositos in terra lasciuire: Quid nunc saltatis ait, eum paulo ante non exiretis saltatum huc, tibiam inflante me? Eodem usu fabulas inseruisse uersibus Archilochum accepimus: a quo uulpecula illa introducta est, quæ etiam prouerbio locum dedit, multiplex & uersuta, ut Plato ait. Vnde, seu fortasßis ex communi obseruatione calliditatis, & in Aesopicis primas agit uulpecula, non secus atque in comœdia Dauus. Sed αἶνοι atque ἀπόλογοι, ut dixi, quasi liberæ sunt fabellæ, tectam & latentem in oratione sententiam continentes, & oblique inferentes ea quæ intelligenda sint, sic

tamen

tamen, ut quid sibi uelint appareat. Ideoq; hoc genus sæpe est uehementius, propter illam quasi abruptionem sermonis, & prouerbiorum figuras habet, ut apud Theocritum,

αἶνος θὴν λέγεταί τις, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν.

Nam fabellæ initium posuit, & illam puellæ fugam ipsiusq; alienam a se uoluntatem ita notauit. Apologis & Rhetores interdum utendum similiter præcipiunt, maxime in caußis non optimis. Apologum agit apud Plautum festiue senex Antipho: & est Platonicum prouerbium, Alcini apologus, cuius ab Aristotele fieri mentionem alibi indicauimus. Interdum hæc obscurius exponuntur, & fiunt illa quæ ænigmata dicuntur: quibus & componendis & interpretandis studuerunt ueteres quidem maxime, semper tamen hoc quasi exercitium & ludus quidam ingenij in doctrina retentus est. Sed de his dicemus, cum allegorias exquirendas proponemus uobis. Nunc fabulas perficiamus. Ac quo omnia clarius perspicere poßitis, exempla triplicis usus fabularum propositi superius a nobis, subijciemus: eaq; de Horatio, uersibus ad communem sermonis modum confecta. Primæ igitur formæ, cum & præfamur aliquid ante narrationem, & illi ut conclusionem subijcimus interpretationem sententiæ nostræ, erit epistola lib. 1. ad Fuscum.

Quem res plus nimio delectauere secundæ,
Mutatæ quatient. Si quid mirabere pones
Inuitus, fuge magna, licet sub paupere tecto

Reges,

Reges, & regum uita præcurrere amicos.
Ceruus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Implorauit opes hominis, frenumq; recepit.
Sed postquam uictor uiolens discessit ab hoste,
Non equidem dorso, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem ueritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum uehet improbus, atq;
Seruiet æternum, qui paruo nescet uti.

Secundæ formæ poterit esse hoc exemplum, eodem lib. ad Mecœnatem.

Forte per angustam tenuis uulpecula rimam
Repserat in cameram frumenti, pastaq; rursus
Ire foras pleno tendebat corpore frustra.
Cui mustela procul: Si uis, ait, effugere istinc,
Macra cauum repetes, arctum quem macra subisti.
Hac ego si compellar imagine, cuncta resigno:
Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
Ocia diuitijs Arabum liberrima muto.

Tertiæ hoc, Sermonum lib. 2. Satyra 3.

Absentis ranæ pullis nituli pede pressis,
Vnus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit, illa rogare,
Quanta ne? num tandem, se inflans, sic magna fuisset?
Maior dimidio, num tanto? cum magis atq;
Se magis inflaret: Non si te ruperis, inquit, par eris.
Et alibi: nam est multiplex huius formæ usus.
Viuendi qui recte prorogat horam,

Rusti-

Rusticus expectat dum defluat amnis: at idem
Labitur, & labetur in omne uolubilis æuum.

Et rursum:

Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non ut porticibus, sic iudicijs fruar ijsdem,
Nec sequar ac fugiam quæ diligit ipse uel odit:
Olim quod uulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam, Quia me uestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Item hoc:

Ne si forte suas repetitum uenerit olim
Grex auium plumas, moueat cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus.

Habent autem fabulæ miram uim ad animos hominum permouendos, & ad eam rem cui accommodantur probandam: deniq; ad persuadendum docendumq; plurimum ualent, quasi quædam diserta naturæ ipsius testimonia. Itaq; Aristoteles inter probationes Rhetoricas, has collocat, ut speciem exemplorum. Et indicat, in his uersatam fuisse eloquentiam ueterum, exponens & Stesichori fabulam, & Aesopi, utramq; festiuam, elegantißime, quas ipsas ad exemplum interpretari placuit. Nam cum Imeræi in Sicilia quondam Phalaridem Imperatorem suum esse iußissent, atque etiam custodiam ac satellitium decreturi uiderentur, inter alia Stesichorus, cui horum nihil placeret, fabulam narrauit ciuibus suis. Equum tenuisse quodam tempore pratum, in quo solus pascereretur.

retur. Postea cum in illud & ceruus uentitaret, & pabulum consumeret, ille uindictæ cupidus, quærit ab homine utrum ope ipsius adiutus iniurias cerui ulcisci posset. Cui respondit homo, posse, frenum si reciperet equus, & se conscendi pateretur ab armato. Annuente autem equo, tantum abfuit ut de ceruo speratas pœnas sumere liceret, ut etiam ipse in seruitute deinceps uiuere cogeretur. Idem ne uobis (inquit) accidat, prouidendum, ut in cupiditate ulciscendorum hostium uestrorum in seruitutem incidatis. Nam frenum iam quidem recepistis, cum istum Imperatorem designastis. Quod si satellites quoq; adiunxeritis, tum hic conscendet uos, atq; ita seruietis Phalaridi.

Aesopus autem, cum forte adesset aduocatus prætori populi Samij in caussa capitali, quod is reus esset peculatus, facinore scilicet manifesto, deprecatus a iudicib. dicitur salutem illius, tali narrata fabula. Cum uulpecula fluuium transire uellet, delata fuit ui undarum in crepidinem, unde euadere non posset: cumq; admodum affligeretur, magnaque copia muscarum iam ad illam conuolasset, forte prætereuntem erinaceum misertum illius, muscas abigere uoluisse. Sed uulpeculam non esse passam: caussamq; exposuisse miranti erinaceo, quod ab illis iam saturis mitius cruciaretur: quæ si essent abactæ, esurientes mox aliæ adhæsuræ sibi, & quicquid adhuc restaret sanguinis educturæ uiderentur. Atq; hic, inquit, Samij,

Samij, de quo cognoscitis, non multum dabit uobis ipse posthac damni, factus iam locuples. Sed si illum sustuleritis, aderunt mox alij egentes, qui ærarium uestrum furtis suis exhauriant.

XENOPHONTIS FABVLA

ex 11. ἀπομνημονευμάτων.

Quo tempore animalia & pecudes sermone utebantur, aiunt ouem dixisse heroi suo. Per mihi mirum uidetur nihil nobis a te præberi, cogiq; e terra nos uictum quærere, de quibus tamen tu & lanam capis, & caseos & agnos. At canibus, unde nihil horum tibi redit, impertis panem, quo ipse ueseris. Tum canem qui hoc audisset, ferunt sic locutum: Merito hercle meo fit, nam ego is sum, qui uos ipsas etiam custodio atq; seruo, ne uel hominum furto, uel luporum raptu pereatis. Quod si ego uestram custodiam negligerem, iam ne ad pabula quidem exire auderetis præ formidine interitus. Atq; ita oues etiam ipsas facile passas fuisse accepimus, ut se canes potiores, & maiore m honore haberentur.

Quæratur nunc usus fabulæ, hoc modo. Non oportet multitudinem irasci, neq; moleste ferre, si uideat magistratus & in honore & copia uiuere, cum tamen sine multitudine ciuitas esse nequeat, non enim ciuitas est, secundum tragœdiam, ἥτις ἀνδρὸς ἐῶ' ἐνός. Quod si faciat, nihil aliud fieri uideatur ac

si ue-

si uelint oues succensere pastori, qui canibus imperatiat eum cibum, quo homines uesci soleant, cum cogantur ipsæ herbas & gramina decerpere, id quod feciſſe quodam tempore illas Aesopus narrat. Sed postquam docuissent canes, sine suo illas custodia saluas non futuras, ideoq; se pro autoribus quibusdam habendos omnium earum commoditatum quæ de ipsis redirent ad herum, quorum cura & ab hominum & a ferarum iniurijs atq; ui defenderentur, facile passæ fuerunt oues præferri sibi canes, quorum beneficio ipsæ & uiuerent, & tuto pascerentur. Similiter & uulgus æquo animo carebit honoribus & quibusdam emolumentis, hisq; libenter frui sinet eos, quorum protectione & uitam & res suas incolumitatem obtinere uideat.

Item hoc modo:

Irascitur imperitorum uulgus, ocia sapientum, sic enim statuit, atq; illos in tanto honore & splendore uitam de suis laboribus degere, iniquo animo fert. His igitur canis fabulam narrabimus. Nam quo tempore, &c. ut supra retulimus. Hoc igitur illis dicemus & ostendemus, nisi doctrina & sapientia ipsos defenderet atq; tegeret, neq; salutem neq; fortunas eos suas saluas atq; integras conseruaturos esse.

ALIA TRACTATA FAbula Socratis ex Phædone.

Non

Non oportet homines in labore & rebus aduersis nimium deijci animis, & de meliore fortuna penitus desperare: ac contra potius certa persuasione expectare meliora. Ita enim natura fert, ut iucunda tristibus succedant, & tristia secundis. Quemadmodum igitur spem tristia, ita secunda metum habere debent. Atq; hoc istamq; cohærentiam utriusq; fortunæ explicarunt eleganti fabula ueteres. Nam Voluptatem aiunt, atq; Dolorem, quodam tempore coram Ioue se mutuo grauiter accusauisse, cumq; ille nihil non tentaret atq; experiretur, quo in gratiam litigantes redigeret, frustra omnia conatum, ipsos tandem adamantina quadam catena inter se copulasse atq; deuinxisse. Itaq; durante nihilominus dissidio & contraria uoluntate, necessario coniuncti & sociati manserunt. Quare aliter omnino fieri nequit, quam hæc ut inter se quidem semper pugnent, sed unum tamen alterum immutabili serie excipiat, ac sequatur.

Eadem aliter.

Volo tibi narrare fabulam non nutricum, neque anicularum, sed sapientum ueterum, quæ non modo te delectet, sed etiam doceat atq; instruat. Quo tempore exacto Saturno atq; pulso cœlestibus regnis, Iuppiter imperium constituere ac ordinare cœperat, affuere coram illo Voluptas quoq; & Dolor, cum grauissimis criminibus & postulationibus quibus se mutuo incessebant. Iupiter ratus ex usu maxime esse,

& ſuo & reipub. inimicitias & odia deleri, operam dedit, ut diſſenſionem litigantium componeret, & gratiam inter illos conciliaret, ſed fruſtra expertus omnia, tandem renitentes & inuitos uinculis inſolubilibus aſtrinxit atq; colligauit, ut quamuis diſſiderent, una tamen perpetuo atq; ſimul traherentur & eſſent. Itaq; ſi tu (nam te laborem ſtudiorum intelexi ferre mollius) ſperas bonum eruditionis, diſcendi mala toleres. Si expectas fructum & dulcedinem doctrinæ, defatigationem atq; moleſtias quaſi culturæ illius prius ſubeas ac ſuſtineas neceſſe eſt. Nam & dolor uoluptatem, & uoluptas dolorem fatali lege ſemper comitatur atq; conſectatur.

ALIA FABVLA.

Cum ueniſſem ad neceſſarium & amicum noſtrum, deprehendi illum in maximo luctu ob amiſſum filium, de quo literas illo die acceperat, adoleſcentem optimum & omnibus carum, in præclara ſpe & ſumma expectatione tam externorum quam ciuium in Pannonia ſubito mortuum eſſe. Ego, etſi mouebar iuſtiſſimo dolore amici, ita ut me animo & ipſum admodum perturbari ſentirem, non defui tamen officio, quin illum conſolarer, & hortarer ad ferendum moderate, quod accidiſſet, neq; ulla ratione iam fieri infectum poſſet. Sed cum me non multum proficere ſentirem, animo tandem confirmato, etiam illum

illum propemodum accusare cœpi, qui uir fortis haberi uellet, & ferret fortunæ (sit enim, inquam, ita) iniuriam tam muliebriter. Postremo, ne quid intentatum relinquerem, fabulam etiam narraui. Qua tempestate, inquam, Iuppiter dignitatis gradus inter deos distribuit, Luctum ex omnibus unum abfuisse memorant. Facta autem diuisione, cum & ille aduenisset, & lamentabiliter peteret suam quoq; partem, Iuppiter misertus illius, quærebat quid ei tum quoq; tribui posset? Tandem subijciente Mercurio, cognouit restare funera & lacrimas, atq; dolores, qui ob mortuos suscipi solerent. Hæc igitur, inquit Iuppiter, uniuersa isti cedant. Sic fit, quemadmodum se colentes alij Dij diligunt, & negligentes deserunt, ita etiam Luctus eos, a quib. nullo honore afficitur, ac potius spernitur, ut oderit & fugiat. Hunc uero si prosequaris illo honore, quem habet proprium, miseriæ inquam atq; fletus, nunquam te deseruerit assiduum cultorem suum. Quid quæris? Non solum post hæc mihi admittere iam consolationem, sed etiam acquiescere, & propemodum exhilarari uisus est.

DE VARIO VSV TRActandæ fabulæ.

Primum igitur omnium danda opera, ut fabulæ exponantur breuiter & pure: in qua re illa commoda insunt, de quibus disseruimus. Postea tamen hæc etiam

ipsa dilatabimus, atq; augebimus subiectis rationibus, ut quod rectum aut huic contrarium dictum factumue sit, exquiramus. Tum quædam amplificabimus oratione, aliqua laudabimus, aliqua uituperabimus, conuenientibus his omnibus clausulis, uel plerunq; uerbis. Postremo & expositionem in personas spargemus, & colloquentes has introducemus, ut de expositione quasi actio fiat. Inter hæc omnia summa cum utilitate pueri, ac fortasse etiam adultiores exercebuntur ad copiam quandam orationis, si in omnes formas locutionum deducere expositionem suam, & casibus nominum, uerborumq; flexionibus, & terminationibus dictionum uariatis nullam non effingere sermonis speciem tentauerint. Quæ omnia quo melius qualia esse uelimus, intelligere positis, nunc singilatim subiunctis exemplis accumulabimus. Atq; unius quidem narrationis, ita enim erit res certior.

FABVLA TESTVDINIS & Aquilæ.

Testudo spacij cuiusdam conficiendi certamen cum aquila susceperat. Propositus erat locus, ad quem prior ex ipsis uter peruenisset die tertio, is uictor haberetur. Aquila contemta tarditate testudinis, prouolare cœpit, & sæpe desidere, ac longe lateq; euagari, & alias res agere, deniq; noctem totam acquiescere, neq; ualde mane euolare. At testudo nihil remittere,

mittere, in itinere dies atque noctes uersari, rectaq; contendere ad destinatum locum. Itaque sedulitate sua aquilam uicit, & locum designatum, cum abesse adhuc longissime crederetur, tenuit. Significat fabula, studij & animi motus esse ad celeritatem efficaciores, quam corporis.

Mutetur hæc primum expositio per casus, hoc modo.

Genitiuus.

Narrabo tibi testudinis fabulam. Cuius tantam fiduciam accepimus fuisse, ut cum aquila uelocissima aue non dubitaret spacij certi conficiendi certamen inire. Tridui hoc esse placuerat. Quo tempore ut magna aquilæ in summo contemtu testudinis desidia, ita testudinis erat singularis assiduitas, & progressionum labor. Ergo illius cessatio uictoria caruit, huius sedulitas potita est.

Datiuus.

Testudini ferunt & aquilæ contentionem fuisse quondam celeritatis. Aquilæ mirum atq; ridiculum uidebatur, testudini omnium animantium tardissimæ cupiditatem subijsse de celeritate secum certandi: neq; detrectare sane, ne quam uel inanissimam gloriolam huic relinqueret, certamen uoluit. Definitur spacium & tempus conficiendum utriq;. Aquilæ tota res ludus ac risus uideri: at testudini nihil præterea curæ esse, itaq; illa noctes & dies operam itineri dare, uiæ nullo non tempore insistere, ita huius labori atque

aßiduitati, aquilæ ſuperbiæ & faſtidij inanitate relicta, palma ceßit.

Accuſatiuus.

In hunc caſum libenter & apte declinantur expoſitiones. Vt: Ferunt quodam tempore aquilam a teſtudine in certamen de uelocitate prouocatam, & cætera. Ac rurſum: Contentionem extitiſſe quondam inter aquilam & teſtudinem, certamenq; celeritatis initum accepimus, &c. Et: Narrat Aeſopus, teſtudinem certaſſe de celeritate cum aquila, & aßiduitate ſua atq; maximo ſtudio victoriam conſecutam eſſe.

Ablatiuus.

A teſtudine prouocata ad certamen celeritatis aquila, ita uehementer ſpreuit tarditatem illius, ut præfinito ſpacio & tempore certaminis, neq; ullo præcipuo conatu, neq; aliqua cura opus ſibi eſſe exiſtimaret, cum uno impetu & mediocri incitatione ſe facile anteuertere inertißimam beſtiolam poſſe crederet. A teſtudine tamen ea eſt ratio adhibita, ut cum perpetua ingreßione uteretur, & diebus atque noctibus in itinere ſummo cum labore uerſaretur, a ſe aquilam in deſpicientia & contemtu ſui uictam, etiam ipſius confeßione relinqueret. Iam hæ uariationes miſcebuntur, & formæ orationis omnis generis uſurpabuntur, ut de exemplo quod ſubiecimus, intelligi poterit. Non enim illa ſuperiora ideo expoſuimus, ut uni quaſi formæ inſiſtere pulcrum

eſſe

esse putaretis: sed ut hoc studio assuefacti ad uarietatem quandam, distinguere & iucundiorem narrationem efficere possetis.

EXEMPLVM VARIETATIS.

Quantum possit assiduitas & diligentia, sæpe est intellectum atq; cognitum. Contra, negligentiam & socordiam detrimento nunquam carere, multa sunt documento. Fit autem dupliciter, ut minus aliquam in rem homines incumbere, & niti soleant: uel quia ignauia retardantur, uel quia securi & ociosi alios despiciunt ac fastidiunt. Hoc posterius plurimos non solum damnis maximis affecit, sed etiam perdidit atq; euertit. A tali confidentia enim, socordia & incuria non fere abest, dum neq; metuunt, neq; cogitant, neq; aliorum consilia requirunt & admittunt isti contemtores & superbi. Ex quo etiam hoc oritur, ut sine formidine, sineq; adeo respectu in omnia ferantur ac ruant. Iam enim freti uiribus, potentia ac magnitudine sua, nihil sibi accidere contrarium posse ab aliorum scilicet infirmitate, humilitateq; & exilitate, sibi persuaserunt. Sed quid Homerus? Sæpe, inquit, segnis uelocem assequitur: Fabula uero testudinis præteriri etiam atq; anteuerti docet. De qua & hoc ueteris poëtæ fertur:

Sæpe superat uelociorem tardior:
Aquilam & breui testudo, ut aiunt, tempore.

Notum enim esse puto quod narrarunt: Quodam tempore celeritatis fuisse contentionem inter testudinem & aquilam. Mirum iam hoc uideri posßit, testudinem non dico cum aquila, sed omnino cum aue certare ausam. At fabula hanc etiam uicisse perhibet. Aquilam quidem superbißima oratione testudini illusisse ferunt, quod exanguem, quod uecordem, quod quadrupedum infamiam & dedecus appellaret. Testudo, quæ omnino cuperet fortunam illius certaminis experiri, uerita ne aquila sese duceret indignam, cum qua contenderet de uelocitate, iritandam sibi illam statuit: ita enim magnos animos facile quouis impelli solere sciebat. Quid igitur, inquit, præclarißima tu uolucris, uerbis ne pugnare pulcrum putas? Verbis? inquit irata aquila, imo re: quamuis tecum quidem pugnare turpe, uel potius ridiculum esse existimem. Sed definiatur spacium. Forte tum agitabatur bestiarum conuentus, ut magnus numerus adesset omnis generis animantum. Ab his ergo spacium præscribitur passuum septuaginta millium, quod aquila uolando, testudo quomodocunq; posset rependo nitendoq; intra triduum conficeret. Aquilæ omnia lusus & iocus uidebantur. Cumq; testudo iam mouere se & prorepere inciperet, tum uero aquila risu emori. Ac uix mihi, inquit, inter uolandum respicere & ne noctu quidem, ut arbitror, conquiniscere licebit, ita se hanc uehementer & propere inferre cernitis. Nihil ad hæc testudo. Quodq; sibi uelocitatem a

natura

natura non esse tributam sciret, curam & diligentiam ad spem uictoriæ adhibendam esse intelligebat. Sed progredi ut poterat festinantißime, neq; remittere de summo conatu quicquam, noctes & dies in itinere consumere, nullo tempore aut loco cessare, dicere non accelerare quidem illam, sed tamen incitare gressum. Deniq; studio maximo, & assiduitate summa, perpetua in cogitatione & cura uictoriæ, cum aquila alio mentem, alio oculos dimitteret, & contemtu testudinis semper ociose prouolaret, sæpißime desideret, illa designatum locum attigit prius, quam dimidium spacij feciße crederetur. Tum aquila indignatione & dolore disrumpi. Animantes partim illudere tam superbæ & regiæ aui, quæ ab inertißima, ut putasset, bestia superata esset: partim admirari diligentiæ & assiduitatis uim, omnes autem gratulatæ testudini, palmam illi decreuere. Habetis fabulam, commendatricem studij & industriæ ac laboris, & damnatricem socordiæ, incuriæ, fastidij atq; desidiæ. De quibus uos etiam eligetis, quæ meliora & utiliora esse iudicaueritis. Sed iudicium facietis de exitu, non de principijs. Nam de laboribus uoluptas nascitur: &, ut Tragœdia ait,

Laboris expers nulla usquam est felicitas.

Egregie & Pindarus cecinit, uirtutem perpetuo cum laboribus & impensis operæ conflictari. Voluptatis autem finis est labor & molestia semper, non etiam nunquam tristicia pœnitens & dolor.

Sciendum autem, in casuum mutationibus sæpe incidere ambiguitatem: ut cum eosdem frequentare studemus, sententias confundamus, quod cum magna attentione cauebitur, ne fiat. Ne quis sic loquatur: Erinaceo uulpeculæ respondere uisum ita, Tibine mihi his uerbis fidem habendam esse uisum? Imo uero me te despicere oportet, & similiter.

Atq; hoc etiam non ignorandum est, in narrationibus quas doctis probari uelimus, nullam fere formam decere, neq; cum laude usurpari, nisi quæ ducatur a recto, aut ab accusandi casu: quod reliquæ cum obscuritate non carere, tum auditorem lectorem ue, uel perturbare, uel etiam offendere soleant, de quo & Græci diligenter præcepere, id quod & ipsum alias quando, Deo uolente, exponetur interpretatione nostra.

DE EMENDANDO.

Discipulorum scripta plerique ita emendant, ut ea quæ perperam facta uideantur, mutent, & meliora substituant, atque de illis suis & discipulorum quibusdam quæ ferri posse credidere, scriptum quoddam concinnent. Hoc est & laboriosum, & non ualde prodest. Primum enim exire scriptum dissimile sui necesse est, cum mutata illa discrepantia a relictis inculcata fuerint. Deinde uerba fortassis recte mutauerit aliquis, & si bene cadat etiam figuram aliquam

aliquam sermonis, compositionis & totius formæ orationis respectus non habetur, neq; haberi potest. Postremo cum hæc emendatio inquirat seuerißime in scripta discipulorum, fit ex eo, ut indignatio, aut etiam dolor & desperatio occupet animos liberales, qui soli idonei sunt ad hæc studia, in frequente reprehensione suorum. Est igitur hoc, ut uidetur, emendandi genus optimum, ut non statim scripta discipulorum tota quasi dispungantur. Sed si qua insignia errata fuerint, uel uerborum uel etiam sermonis uicia, illa ut corrigantur statim: (omnino enim manifesta dißimulari nullo modo debent: nam hæc silentio quasi approbarentur:) a reliquis quasi tristicia quædam sententiæ remoueatur, ne si omnia, quod sæpe fit, aut plurima confixerimus, a scriptionis atque etiam ipsarum literarum studio discipuli absterreantur. Tum id argumentum quod tractarunt ipsi stilo suo, retexat emendator, & ad optimum atq; luculentißimum modum compositum illis proponat ad exemplum, quod & ipsi in suis corrigendis, & alijs postea conscribendis sequantur. In quo si studium & diligentiam operæ adhibere, & intendere animos uoluerint, incredibiles fructus sentient, & magnam reperient commoditatem. Est autem hoc ipso etiam melius atq; utilius, eas materias proponere discipulis scribendas, quæ ipsis quidem nescientibus, in ueterum alicubi libris inueniantur. Quas cum fuerint executi suo calamo, tum illis demonstrari

conue-

conueniet ueterum autorum locos, in quibus eadem illa explicata insint, & iubere secundum ea corrigere sua, & uelut elimare. Hæc quasi interlocuti, institutum persequamur, ut tandem doctrinam & præcepta fabularum concludamus. Atq; unum etiam nunc proponemus exemplum studio uestro. Expositio autem hæc erit breuis & nudi sermonis, in qua singulos locos & partes notabimus, in quibus illa uelut dilatari, & recipere uarietatem & copiam posse uideatur. Huius fabulæ sit præscriptio.

LVNAE PRECES.

Luna matrem quondam orauit suam, ut sibi uestem texeret, conuenientem corpori suo. Cui illa respondit, peti a se rem, quam præstare nequeat: quod nulla uestis apta corpori confici posset eius, quæ modo plena esse & globosa, modo manis & caua, modo quasi dimidiati orbis specie apparere, modo uelut in semicirculum extenuari soleret.

Hæc expositio ita reddetur grandior & splendidior. Primum uariari poterit initium, & reddi quasi amœnius, commemorato nomine matris Lunæ, accepto de Hesiodi Theogonia. Θεία seu Δία enim, inquit ille,

Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπράντε σελήνην
Γείναθ' ὑποδμηθεῖσ' ὑπερίονι ἐν φιλότητι.

Deinde orationem attribuemus Lunæ, complectentem

tem ipsarum precum formam. Cui parti rationem addemus huius petitionis, & ea quibus preces sustentari posse & ualere debere uideantur. Vt, uerbi caussa, se in tanta deorum copia, si dicat Luna, conspici nudam, & sibi & suis turpe esse. Post hæc responsionem actuosam faciemus, ut mater filiam compellet, & inseremus sermocinationem: Cur nunc demum hoc mea filia petis? Quæ res hanc tuam hoc tempore cupiditatem excitauit? & similia. Deinde in illis figuris diuersis augescentis & decrescentis, atq; etiam euanescentis luminis, pluribus uerbis utemur, ut uel Græca interpretantes, quæ sunt πανσελήνου, id est plenæ Lunæ, δίχοτόμου, secti orbis, μηνοειδοῦς, & ἀμφικύρτου, quod cornua & conuexum quiddam significat, postremo & clausulam addemus denegationis. Atq; ita ἐπιμύθιον apponemus tale, si uideatur.

Fabulam hoc docere, homini improbo ac leui nullum conuenire præceptum uirtutis.

Est autem in exercitio hoc perutile, proponi ἐπιμύθια, ad quæ iubeantur pueri fabellas accommodare: & contra fabulas, quarum ipsi documenta exquirant, hoc enim ipso cogitatio & mens quoq; prudentior, non solum eruditior oratio fieri solet.

Vt sit ἐπιμύθιον. Non expauescendum ad quemlibet strepitum uerborum, neq; re inexplorata terreri nos oportere. Hoc docet fabula de leone, perculso primum clamoribus ranæ. Itemq; illa de uulpecula,

cula, æris tinnitum formidante. Item illa, quæ sic narratur. Obuiam factus asinus equo feroci & strenuo, in angusta & lutosa uia, cum metueret ne si ab equo superbo de semita forte deturbaretur, uel in tenace & profundo cœno sibi pereundum, uel inde multo cum sudore & post longam uolutationem enitendum esset, hoc consilium cepit: contra equum ceruice elata se infert, & caput iactitans, sæua oratione: Ni tu, inquit, locum dederis prætereunti mihi, quid ego facturus sim experieris. Equus de improuiso & insolente gestu & grandiore sono asini territus, illi prætereundi copiam facit. Ac mox confirmato animo, ad asinum conuersus, Quid igitur, inquit, si non cessissem tibi, facturus fueras? Tum asinus, Quid enim, inquit, aliud, quam a te ut ego detrusus iacerem in luto?

Item ponatur ἐπιμύθιον. Aduersis rebus excitari intelligentiam. Siue: Cautiores reddi homines solere damnis acceptis. De quo fabula narretur Canis qui coco abstulerit cor uitulinum, quodq; dixerit cocus, sibi non ereptum cor, sed inditum.

Narrari poterit & pastoris fabula, qui nauigare uoluisset, posteaq; naui fracta amissis fructibus, quos ad mercatum delaturus fuerat, dixisset, frustra requiri alios a tranquillitate. Nec non mulæ, quæ per fluuium agitaretur cum salis onere, & in illo concideret, ut liquefacto sale postea onere careret, cum enim huic postea spongiæ & lanæ impositæ essent, atq;

atq; illa his madefactis pene opprimeretur, nunquam se in aquas iterum demersisse, sed cum summa cautione transiuisse traditur.

Sit ἐπιμύθιον, Non recte impares cum imparibus coniungi. Indicatur hoc fabula Carbonarij & fullonis. Item Hirundinis & turdi. Quæ enim, inquit, turdo, ut fertur, cum amicitiæ suæ usum peteret, hirundo: Quæ tecum mihi esse necessitudo possit, quæ hiemem fugio, cum tu illam sequaris? Neq; enim ego frigus, neq; tu calorem amas.

Similiter de narrata fabula ἐπιμύθιον unum, aut plura elicere studebimus. Vt de hac,

Grauiter querebatur noctua de lucis & diei ortu, & cum sole expostulabat. Cui sol: Non meum opus, inquit, sed oculi tui culpandi sunt.

Fabula docet, improbos irasci uirtuti, quæ facinoribus ipsorum resistere soleat.

Monet etiam hoc, ne alios potius quam nosipsos accusemus, indignantes & moleste ferentes ea quæ caussam habent uicia & delicta nostra.

Præterea innuit, quod malorum obscuritas uirtutis splendorem ferre non possit.

Ad fabulam de asino gestante diuinum simulacrum, & hoc apponi poterit. Doceri illa, quisq; suæ ut conditionis memor sit, neq; aliqua fortunæ accessiuncula animo sic extollatur, ut qui dudum fuerit obliuiscatur. Item cogitandum, uenerationem & cultum hominum, non esse proprium horum, sed

diuinita-

diuinitatis cuiusdam his impositæ. Itemq;, Coherceri hac uanitatem & stulticiam hominum, qui nullum superbiæ sensum & affectum reprimere, sed de quacunq; occasione sibi ipsi placere soleant.

DE NARRATIONIbus ueri similibus.

VEri similes expositiones fecimus earum rerum, quæ essent cotidianæ uitæ, quales accidere posse, aut potuisse fieri, neq; dubitat neq; ignorat quisquam. Etsi autem ueri similis omnis narratio, id est πιθανή, atq; ita composita, ut omnia quæ referuntur inter se consentanea sint, neq; sic mirifica esse debet, ut (quemadmodum dicitur) neq; pes neq; caput appareat, atq; ficta quæ erunt ita mentientur, Primo ne medium, medio ne discrepet imum: tamen nos nunc de illa similitudine ueri loquimur, quæ ipsius argumenti sit, & rei quam suscepimus exponendam, cuius generis sunt comœdiæ & dialogi, ut exempli caussa quidam Lucianici & Erasmici. Actionis autem illa est expositio, id est, collata in personas. Sed nos in narrationibus mistis rectissime exercebimur: quales permultæ sunt externarum nationum, Gallica & Italica fere amatoria, & nonnulla obscœna quoq; scripta: quæ uitabuntur. Teutones, ut ante dixi, extra numeros, non admodum usurparunt. Hæ quidem narrationes euentus complectuntur admirabiles quidem

dem hos, & inopinatos, sed non abhorrentes a veritate, propterea quod & similes ante fuerint comperti. In quo gentium, hominum, personarum, locorum, temporum respectus & consideratio habenda. Vt moribus Græcorum & illis temporibus non fuit incredibile, subito & de improuiso a parentibus liberos reperiri, propter expositiones. Item multa a seruitijs illorum temporum & gesta sunt, & potuere geri, quæ nunc uix uera esse suspicamur. In locis maritimis naufragum euadere, uel simpliciter uel singulari aliquo modo, fide non caret. Temporum sunt, responsa oraculorum, & uaticinationes diuinorum. Hominum & personarum, est proprietas naturarum, discrimina conditionum, ætatum, sexus.

Sed de his diligentius exquirent atq; cogitabunt, quasi adultiores discipuli eloquentiæ, & studio proiectiores. Sciendum autem, in huiusmodi narrationibus, & propria nomina locorum atq; hominum poni oportere, quo minus ficta manifesta sint: ut,

Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi, &c.

Itaq; & hærent anxie in nominibus, ut Nomen non conuenit: & ille in Trinumo sycophanta, qui Charmidæ nominis esset oblitus, facete eluditur a sene.

Et tempora notabuntur:

Interea mulier quædam ab hinc triennium
Ex Andro commigrauit huic uiciniæ.

Sed nunc, ut consueuimus, exempla proponamus.

Corinthia quodam tempore res in potestate pau-

corum fuit, a quibus ciuitas administraretur. Hæc familia appellabatur Bachiadum, qui & ducebant & elocabant filias inter se, neq; cum alienis commiscebant genus suum. Accidit ut uni horum Amphioni filia nasceretur loripes, nomine Labda. Hanc cum recusarent uxorem habere omnes de familia Bachiadum, ducit Eetion quidam Echecratis filius, tribu Petræus, a Lapithis & Cæneo oriundus. Fuerant cum illo & aliæ ante nuptæ, quarum nullam grauidam facere potuerat. Cum igitur neq; Labda conciperet fœtum, proficiscitur Delphos, consulturus Deum de liberis. Huic ingredienti templum, statim nomine compellato respondit sacerdos, parituram Labdam, & huius filium potiturum summa rerum Corinthi, & imperaturum ciuibus suis. Hæc nunciata Bachiadis, in memoriam ipsis reduxerunt oraculum, quod incerto autore sparsum olim neglexerant: quo monebantur, ut cauerent aquilæ nidulantis super petra partum leoninum. Vtrunq; igitur conferentes, facile intellexerunt, prædici malum, quod impenderet a genere Eetionis, nisi prouiderent. Statuunt igitur, quicquid Labda peperisset, e medio tollere. Cum autem filius natus fuisset, mittunt decem de familia sua ad puerum interficiendum. Qui cum uenissent ad ædes Eetionis, introgressi petiere a matre, filiolum ut afferret suum. Illa nihil mali uerita, ac gratulatum hos aduenisse rata, tradit uni illorum in manus infantem. Conuenerat dudum inter eos, ut is

ut is qui primus fuisset infantem nactus, limini ianuæ inflictum interimeret. Sed tum forte fortuna puer paruulus intuitus illum qui a matre acceperat, risit. Quo animaduerso, misericordia hic motus a cæde abstinuit, & infantem tradidit alteri. Hic uero etiam ipse alteri, atq; ita deinceps per omnium manus rursum ad matrem peruenit puer. Tum foras egressi, iurgantes & accusantes inter se, constituere communiter occidere uelle puerum. Ac fuit scilicet in fatis, ut filius Labdæ Corinthum occuparet. Itaq; mater sermone Bachiadum clanculum captato, metuens filio, dum illi consultant, in eum locum abdidit puerum, ubi minime quæsitum iri putaret, & subter alueum apum deposuit. Iterum ingressi Bachiadæ, quod mulier futurum præuiderat, omnia scrutantur: sed non inuento puero, placuit discedere, & renunciare suis, mandatam se rem executos esse. At Eetionis filius postea, cum nomen de alueo in quo latuerat, obtinuisset, ut Cypselus uocaretur, ætateq; uiribus auctis, & oraculo etiam confirmato animo, inuadit Corinthum, & ciuitatem opprimit, & multis in exilium pulsis, multis etiam spoliatis pecunia, pluribus uita, regnum tenuit annos triginta, & cursu uitæ feliciter confecto, reliquit successorem regni Periandrum filium.

ALIVD NOSTRVM Exemplum.

In Apulia, ubi quondam Salapia amore Hannibalis celebris fuit, mercaturas feciſſe quendam patrum noſtrorum memoria accepimus, nomine Coſitium: cui cum nulla benignitate ſua ſatisfaceret fortuna, neq; auiditatem hominis explere poſſet, pene ipſe ſibi ſtudio quærendi infinito, non ſolum inopiam, ſed interitum accerſit. Nam mercibus coemtis, per mare etiam uehi uoluit. Itaq; naui onuſta, in Cyprum nauigare cœpit. Quo cum ueniſſet ad mercatum, reperit magnam copiam nauium, quibus omnibus eæ merces apportatæ fuiſſent, quas ipſe comparauerat. Itaque non modo lucri nihil, ſed damni etiam fecit plurimum. Tum ingenti animi triſticia & quadam deſperatione impulſus, cum mori potius uellet quam in egeſtate uiuere, diuenditis cunctis, & nonnulla pecunia inde redacta, piraticũ myoparonẽ inſtruit, et in mari deprehenſos deprædatur, in primis quidem Sarracenos & Turcas. Atq; in hoc conatu ita habuit fortunã proſperam, breui maximas opes ut confecerit. Statuit igitur tandem finem cupiditatibus ſuis, & quæſitis frui ſe uelle decreuit, atq; cum parta præda reuerti ad ſuos. Sed redeuntem in pelago Myrtoo ſæuiſſima tempeſtas adoritur, mareq; uentis commotum proſequi nauigium exilius curſum ſuum non patitur. Itaq; ſe poſt inſulam quandam paruam, & cultus hominum expertem recipit, dum tempeſtas abeat. Eodem conſilio paulo poſt appelluntur illo naues duo Genuenſium, quæ conſpicatæ myoparonem, ratæ prædam ſe repe-

riſſe,

rissе, ut res erat, capiunt non magno negocio & nauem, & quicquid in illa hominum atq; aliarum rerum uehebatur. Quibus uniuersis in suas naues translatis, demersoq; prædonum lembo, cum iam etiam mare essет paulo tranquillius, soluunt Genuenses naues, & in altum prouehuntur. Eo die non infelici fortuna usi, iam Tyrrhenum mare prospiciebant. Cum uesperi appropinquantibus tenebris, cœlum subito nubibus inhorrescere, & fluctus excitari uentis, totumq; mouеri a fundamento mare. Ibi post multos & uarios omnium labores, uictæ procellis & tempestate naues franguntur, & disiecta materia, merces, arma, homines undis hauriuntur. Miscetur fragor, clamorq;, cum cœli sonitu. Ac quisq; uotis ac precibus deorum numina fatigare, arripere quod sors in tenebris obtulisset, hic fragmentum mali aut remi, ille tabulam aut trabem decussam: alius sarcinis mercium incubitare. Inter hæc Cositius, qui paulo ante cum se omnibus fortunis exui, & per summa pericula partis rebus spoliari cerneret, sæpe mortem exoptasse, ab illa tum occurrente refugit, & quandiu concederetur, uiuere decreuit. Apprehendit igitur forte oblatam in nocte arcam, & in eam diuaricatus atq; pronus incumbit, illamq; arctissime manibus complectitur. Tradũt autẽ, quæ in aquis homines prehenderint, non solere sæpe ne exanimatos quidem amittere. Ita cum arca Cositius duos dies & noctes totidem in mari iactatus, tertio iam medio ad terram defertur, & subsidente in

littus impetu fluctuum expulsa arca, pro mortuo ibi aliquantisper iacuit. Postea conspectus a piscatoribus, qui illum uiuere animaduertisse sibi uiderentur, una cum arca deportatur in proximum tuguriolum, & ad focum recreatus animum recipit. Atq; ibi qua ratione sit seruatus, & se in terra Italiæ esse cognoscit. Cum autem ex omnibus fortunis suis unam illam arcam sibi relictam esse cerneret, quid tamẽ inesset, perspicere uoluit. Quodam igitur die cum piscatores abessent, arcam aperit, et inuenit plenam multis preciosis gemmis, partim perpolitis, partim rudibus, alijs etiam inclusis auro, alijs solutis. Ipse, qui mercaturas diu fecisset, facile intelligere, lucrum de illis maximum fieri posse, sed etiam tum metuere fortunæ infidelitatem. Itaq; panniculis omnia inuoluit. Et piscatoribus reuersis, se arcam pro illorum ergo se beneficio & cura, quando aliud nihil reliquum sibi mare fecerit, ait tribuere, petitq; ut in urbem proximam iter sibi demonstrent. Atq; ita Hastam peruenit, & inde in patriam suam, ubi postea quietam uitã in mediocri opulentia, contentus ijs quæ obtigerant, uixit: neq; iterum alia spe oblata, bona in discrimen adducere uoluit.

Ad hoc genus referri poterunt ea quæ exempla uocantur: cuiusmodi de Cicerone pleraq;, sed & ab alijs alia sumta, diuersis capitibus subiecta Valerius collegit plurima. Verum huius autoris oratio non uidetur eruditis optima, ut legi hunc a discipulis Latinitatis non sit necesse. Græci sermonis præclara exempla

empla capi possunt de libello Plutarchi περὶ ἀλλήλων δικημάτων.

Subscripsimus autem ex Cicerone narrationem unam aut alteram, huius de quo loquimur modi. De Diuinatione lib. primo. Quid singulari uir ingenio Aristoteles, & pene diuino, ipse ne errat, an alios uult errare, cum scribit, Eudemum Cyprium familiarem suum iter in Macedoniam facientem Pheras uenisse, quæ erat urbs in Thessalia, tum admodum nobilis. ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu premebatur. In eo igitur oppido ita graui ter ægrum Eudemum fuisse, ut omnes medici diffiderent. Ei uisum esse in quiete, egregia facie iuuenem dicere, fore ut breui conualesceret, pauciscq; diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atq; ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, & conualuisse Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectum tyrannum. Quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, prælianteм eum ad Syracusas occidisse. Ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut cum animus Eudemi ex corpore excesserit, tum domum reuertisse uideatur. Item paulo post. Cum duo quidam Arcades admodum familiares, iter una facerent, & Megaram uenissent, alterum ad cauponem diuertisse, ad hospitem alterum, qui cum cœnati quiescerent, concu-

bia nocte uisum esse in somnis ei qui erat in hospitio, illum alterum orare ut subueniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. Eum primo perterritum somnio surrexisse: deinde cum se collegisset, idq; uisum pro nihilo habendum duxisset, recubuisse. Tum ei dormienti, eundem illum uisum esse rogare, ut quoniam sibi uiuo non subuenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur, se interfectum in plaustrum a caupone esse coniectum, & supra stercus iniectum: Petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc uero eum somnio commotum, mane bubulco præsto ad portam fuisse, quæsisse ex eo quid esset in plaustro? illum perterritum fugisse, mortuum erutum esse, cauponem re patefacta pœnas dedisse.

Addam & tertium perelegans διήγημα, de Canio, ex III. Offic. C. Canius eques Romanus, nec infacetus, & satis literatus, cum Syracusas ociandi caussa, non negociandi, ut ipse dicere solebat, se contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere uelle, quo muitaret amicos, & ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, dixit, uenales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si uelet, ut suis. Et simul ad cœnam hominem in hortos inuitauit, in posterum diem. Cumq; ille promisisset, tum Pythius, ut argentarius, qui esset apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se conuocauit, & ab ijs petiuit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitq;

dixitq; quid eos facere uellet. Ad cœnam uenit Canius, erat opipare a Pythio apparatum conuiuium. Cymbarum ante hortulos multitudo, pro se quisq; quod ceperat, afferebat, ante pedes Pythij pisces proïciebantur. Tum Canius: Quæso, inquit, quid est o Pythi? tantum ne piscium? tantum ne cymbarum? Et ille: Quid mirum? inquit, hoc loco est, Syracusis quicquid est piscium, hic aquatio, hac uilla isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit a Pythio ut uenderet, grauate ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus & locuples tanti, quanti Pythius uoluit, & emit instructos, nomina facit, negocium conficit. Inuitat Canius postera die familiares suos, uenit ipse mature, scalmum nullum uidet, quærit ex proximo uicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos uideret. Nullæ quod sciam, ille inquit, sed hic piscari nulli solent. Itaq; mirabar heri quid accidisset. Stomachari cœpit Canius. Sed quid faceret? &c.

De his igitur exemplis apparet, cuiusmodi hæ narrationes, id est διηγήματα sint, non tam necessario uera quam ueri similia. Itemq; certarum quædam rerum cotidianarum & communium: uel si singulares hæ, aut minus usitatæ sint, expositionem tamen ut habeant simplicem atq; planam, &, ut ita dicam, incuriosam. Qualis narratio mortis Socraticæ in Phædone, quam Latinam facere, & pro exemplo afferre libuit.

Est & apud Sallustium narratio pulcra, de fratribus Philænis. Et Luciani dea Syria, exemplum locuples huius generis. Sunt apud Liuium quoq; non nullæ, ut illa Zopyri & Thrasybuli historia seu fabula: quid enim refert? translata ad Tarquinium. Et de Curtio libro septimo, quamuis τραγικωτέρα hæc esse uideatur. Ac, ut uerum fatear, quædam ex his etiam excedere hoc genus, & transire ad historicas narrationes uidentur. Nos uero, ut nimis tenuiter exquirere discrimen non habemus necesse: ita quædam placet magis cotidianarum & usitatarum rerum, quæ sunt peculiares huic generi, exempla proponere. Tale igitur est in Rhetoricorum ad Herennium libro quarto. Iste qui se dici diuitem putat esse præclarum, primum nunc uidete, quo uultu uos intueatur? Nonne uobis uidetur dicere, darem si mihi molesti non essetis? Cum uero sinistra mentum subleuat, existimat se gemmæ nitore, & auri splendore aspectus omnium perstringere. Cum puerum respicit hunc unum, quem ego noui, uos non arbitror nouisse, alio nomine appellat, deinde alio atque alio. Heus tu, inquit, ueni Sannio, ne quid isti barbari perturbent: ut ignoti, qui audiunt, unum putent eligi de multis. Ei dicit in aurem, aut ut domi lectuli sternantur, aut ab auunculo rogetur Aethiops, qui ad balneas ueniat, aut asturconi locus ante ostium suum detur, aut aliquot falsæ choragium gloriæ comparetur. Deinde exclamat, ut omnes audiant, Videto,

to, ut diligenter enumeretur, si potest, ante noctem. Puer, qui iam bene hominis naturam nouit: Tu illo plures mittas oportet, inquit, si hodie uis transnumerari. Age, inquit, duc tecum Libanum & Sosiam. Sane. Deinde casu ueniunt hospites homini, qui istum splendide dum peregrinaretur, receperant. Ex ea re homo hercle sane conturbatur, sed tamen a uitio naturæ non recedit. Bene, inquit, facitis cum uenitis: sed rectius feciſſetis, si ad me domum recta abiſſetis. Id feciſſemus, inquiunt illi, si domum nouiſſemus. At istud quidem facile fuit undelibet inuenire. Verum ite mecum. Sequuntur illi. Sermo interea huius consumitur omnis in ostentatione. Quærit, in agris cuiusmodi frumenta sint. Negat se, quia uillæ incensæ sint, accedere posse: nec ædificare etiam nunc audere: Tametsi in Tusculano quidem cœpi insanire, & in ijsdem fundamentis ædificare. Dum hæc loquitur, uenit in ædes quasdam, in quibus sodalitium erat eodem die futurum: quo iste pro noticia domini ædium ingreditur cum hospitibus. Hic, inquit, habito. Perspicit argentum quod erat expositum, uisit triclinium stratum, probant, accedit seruulus, dicit homini clare, dominum iam uenturum, si uelit exire. Ita ne? inquit, eamus hospites, frater uenit ex Salerno, ego illi obuiam pergam: uos huc decima uenitote. Hospites discedunt. Iste se raptim domum suam conijcit, illi decima quo iusserat ueniunt, quærunt hunc, reperiunt domus cuia sit. In diuersorium

deriſi

derisi conferunt sese. Vident hominem postera die, narrant, expostulant, accusant. Ait iste, eos similitudine loci deceptos angiporto toto deerrasse, contra ualetudinem suam se ad multam noctem expectasse. Sannioni puero negocium dederat, ut uasa, uestimenta, pueros corrogaret. Seruulus non imurbanus, satis strenue & concinne comparat: iste hospites domum deducit. Ait se ædes maximas cuidam amico ad nuptias accommodasse. Nunciat interea puer argentum repeti: pertimuerat enim, qui commodarat. Apagete, inquit, ædes commodaui, familiam dedi, argentum quoq; uult, tametsi hospites habeo, tamen utatur licet, nos Samijs delectabimur.

Sed & nos aliquid componamus, ut talis narratio fiat. Ante annos triginta, in ea parte Germaniæ quæ infera dicitur, quod ad mare uergat, inq; illius urbe celebri Brugi fuisse cum sene nuptam adolescentulam aiunt, quæ illum maritum quem necessitate haberet, minus amaret: atq; mallet consuetudine frui adolescentis, cuius ætas suæ par esset. Atque reperto tali ciusdem ciuitatis primario, aliquantisper cum illo se clanculum oblectauit. Sed res diu occultari non potuit. Accidit quodam tempore, uir ut se abfuturum domo diutiusculè simularet: qui cum uix foras egressus esset, accersitur adolescens, qui neq; ipse contatus celeriter affuit: cum uir consulto reuertitur, quasi oblitus aliquid quod domi faciundum fuisset. Omnes igitur trepidare, & metuere: in primis autem adolescens,

lescens, qui ignarus etiam ædium, in conspectum granarium apertum se conijcit, & ostiolum attrahit. Quod uir animaduerterat: atque is accurrit statim, & seram poscit ex eorum genere, quibus foris ædes occludi solent, Laconicas claues ueteres dixere: neq; se tamen aliquid sensisse ostendit. Nam hircus, inquit, noster, ut nuper uidi, frumenta adedere solet. Illam igitur obdit, ac mox abit ad propinquos, & consanguineos mulieris, & rogat ut secum domum ueniant suam, rem esse magnam, & negocium quod ad omnes ipsos pertineat. Volebat autem coram illis uxorem conuincere flagicij, ne inficias forte iret. Sed interea dum istos hic corrogat, mulier dolens & solicita animo suo, non tam de fama sua, quam de salute adolescentis amatoris sui: tandem ab anu domestica discit, seras istas si in arcum ipsarum firma restis inserta sit, et ualidus ictus de transuerso impingatur, simulq; uehementer adducatur restis, facile aperiri. Hoc tentatum bene procedit. Itaq; adolescentem liberant, & emittunt domo, ac in granarium recludunt forte oblatum hircum. Paulo post affuit uir cum propinquis & consanguineis, & accersitam mulierem coram ijs grauissime accusat, & audacter insimulat adulterij. Illa uero se innocentem, & sæpe clam & nunc palam pessimi facinoris ream fieri, indigne ferre, & iniurias uiri apud suos conqueri, & confidenter negare obiectum crimen. Huc igitur paucos passus abeamus, inquit ille. Quocunq;

cunq;, inquit illa, libet, ne tu me esse timidam suspicere. Cum igitur uenissent ad granarium, referat ille ostiolum, atq; ibi subito hircus prorumpit: quo uiso, ipse territus obstupuit. At propinqui mulieris admirati, quid ea res sibi uelit scisciantur. Tum bonus senex ad pedes mulieris suæ & illorũ proiectus, petere ueniam, & sibi errorem atq; ignorantiam obiectam ab irato numine, dicere, polliceriq; omni cultu & indulgentia satisfacturum uxori. Propinqui totam rem aiunt se mulieri permittere. At illa cum uiro se in gratiam redire, & obliuisci iniuriarum uelle dicit, atq; ita sene eluso, postea amoribus suis adolescens mulier liberius usa fuit.

Sed iam narratam a Platone Socratis mortem, ita quidem eleganter, ut fieri melius nihil posit: nos oratione Latina, quia id esse facturos supra ostendimus, ita quidem ut possumus, exponamus. Græca autem cum his, qui didicerint, studiose & cum magna cura conferent. Hæc ille locutus, surrexit, & contulit se in conclaue quoddam ad lauacrum. Crito autem illum sequebatur, sed nos iussit expectare. Mansimus igitur, differentes de ijs quæ disputata fuerant, eaq; considerabamus inter nos. Interdum & commemorabamus calamitatem nostram, quanta nobis illa accideret. Videbamurq; plane non secus ac parente priuati, reliquam uitam in orbitate traducturi esse. Posteaquam uero ille lauisset, apportatiq; essent ad eum liberi (habebat enim duos paruulos filios, & unum gran-

grandem) adessentq; iam familiares mulieres, collocutus cum illis præsente Critone, & datis mandatis quæ uoluerat, iußit mulieres & pueros discedere, uenitq; ipse ad nos. Atq; erat iam propinquus occasus solis: diutius enim intus fuerat commoratus. Vbi autem aduenit lotus assedit, neq; multa sane post hæc locutus est. Tum affuit minister undecimuirorum, coramq; illo aßistens: Non accusabo te, o Socrates, inquit, eo quo alios nomine accusare soleo: qui irascuntur mihi, & malum imprecantur, cum denuncio illis hauriendum esse uenenum, coactus a magistratibus. Te uero cum toto hoc tempore cognoui constantißimum simul & mansuetißimum, & fortißimum uirum, omnium qui unquam hoc in loco fuere: tum satis scio, non irasci mihi, sed illis quos scis esse autores huius rei. Proinde nunc (cur enim aßim nosti) & uale, & operam da, ut quæ ferre necesse est, quam minime iniquo feras animo. Interq; hæc lacrimans se auertit, ac disceßit. At Socrates aspiciens ad illum: Etiam tu uale, inquit, & nos faciemus quæ mones. Et mox ad nos: Quam ciuilis, inquit, hic homo est? Atq; is toto hoc tempore me inuisere, & sæpe mecum colloqui: fuitq; plane uir optimus. Quam uero constanter me nunc deplorat? Nos uero, Crito, pareamus illi: afferatq; aliquis uenenum, si iam est tritum, sin minus, terat ille. Ibi Crito: At ego, inquit, o Socrates, solem adhuc in montibus esse, neq; penitus occidisse arbitror. Quinetiam scio, accepto nun-

cio

cio quoſdam ualde ſero bibere, atq; poſt cœnam demum, & potum largiorem, ac coniunctionem eorum quorum quiſq; maximo deſiderio tenetur. Quare ne feſtines, adhuc enim ſatis temporis ſuppetit. At Socrates, Iure hæc, inquit, Crito, ab iſtis fiunt quæ commemoraſti: lucrum enim ineſſe arbitrantur, egoq; iure facturus non ſum. Nihil enim lucri facturus uideor, cum paulo tamen poſt bibero: niſi ut ipſe me ridiculum eſſe iudicem, ob uitæ cupiditatem, quiq; iam parcam illi deficienti. Ito igitur, & morem mihi gere, caueque aliter facias. His auditis, Crito innuit prope aſtanti puero. Qui egreſſus, & pluſculum temporis foris commoratus, redijt adducens eum qui oblaturus uenenum erat, quod apportabat in calice tritum. Eum conſpicatus Socrates, Age inquit, uir optime, nam tu harum es rerum peritus, quid nunc agendum eſt? Nihil aliud, inquit, quam potus ut obambules, donec grauari crura ſenſeris: deinde accumbes, atq; reliqua ipſum aget. Simulq; porrexit illi calicem. Hic uero accepto illo, mi Echecrates, minime turbatus, ſineq; trepidatione, immutato & colore & uultu, ſed ut conſueuerat, toruum obtuens, ad illum, Quid narras, inquit, de hoc poculo? Vtrum alicui hinc libare quicquam licet, an non licet? Tantum, inquit, o Socrates, miſcemus, quantum ad mediocrem hauſtum ſatis eſſe exiſtimamus. Intelligo, inquit ille. Deos quidem certe precari licet, ut hæc hinc migratio illuc felix eueniat. Id quod & precor

precor ego, & opto. Atq; hæc locutus, paululumq; moratus admodum expedite, sineq; omni difficultate, exhausit. Nostrum quidem plericq; ægre hactenus lacrimas continere potueramus. Vbi uero & bibentem uidimus, & exhaustum iam uenenum esse, uincebamur plane: mihiq; ipsi adeo ui lacrimarum flumen quoddam erumpebat: itaq; obuolutus, deplorabam me ipsum: non enim illum sane, sed fortunam meam, qui tali amico priuatus essem. At Crito, ante me, cum lacrimas continere non posset, surrexerat. Sed Apollodorus dudum etiam lacrimari non cessauerat. Tum uero inter lacrimas fremens & indignans, nemini non fletum mouit, præter quidem Socratem, qui, Quid agitis, inquit, inepti? Ego enim certe non minimam hanc habui caussam, cur mulieres ablegauerim, ne in hunc modum delinqueretur. Nam audiui, fauendum esse linguis mortis tempore. Proinde quiescite, & perdurate. Quæ cum audiuissemus, pudore affecti repressimus lacrimas. Ille uero cum aliquantisper obambulasset, cumq; iam diceret crura grauari, reclinauit se supinum: id enim minister ueneni iusserat, isq; attrectans simul eum, paulo post inspiciebat pedes & crura. Deinde uehementius premens pedem, rogauit an sentiret: hinc peruenit ad tibias, atq; ita ascendens, demonstrauit eum iam frigescere & rigescere. Iterumq; attrectans, Postquam (inquit) cor attigerit, tum interibit. Iamq; adeo propemodum frigus supra inguen euaserat, atque ille re-

motis ueſtibus quibus fuerat obuolutus, quod quidem poſtremum fuit locutus, Aeſculapio, inquit, o Crito, gallum debemus, quem uidete ut reddatis, atq; caue te ne hoc negligatur. Ita erit, inquit Crito. Sed nunquid aliud imperas? Hoc interroganti, nihil magis ille reſpondit. Ac modico tempore elapſo, cum commotus eſſet, aperuit eum miniſter, idemq; oculos illius compoſuit. Quo uiſo, Crito & in oculos, & in os ipſius incubuit. Hic finis, o Echecrates, fuit amici noſtri, uiri, ut dicere poſſum, eorum qui nobis noti fuere, omnium & fortißimi, & ſapientißimi, & iuſtißimi.

Liuius autem, id quod ſupra attigimus, perelegan-ter ea quæ Herodotus libro tertio, & libro quinto de Zopyro, cuius conſilio & uaſrefacto Babylona Darius receperit: deq; Thraſybulo, qui decußis faſtigijs ſegetum oſtenderit, præſtantes dignitate & primarios in ciuitate ad regnum ſtabiliendum tollendos eſſe. Has igitur narrationes Liuius in Sexto Tarquinio coniunxit, libro primo: quos locos ſtudioſi requirent, & Græcæ linguæ periti inter ſe diligenter conferent, nam nunc referre omnia, nimis longum fuerit.

Huiuſmodi, ut dixi, ſunt Comœdiarum argumenta, ſed in ipſis tamen his præcipui quidam & eminentes loci. Eodem & mimi, ſi nunc extaret aliquid talium ſcriptorum, referri debebant. Quorum tamen & ipſorum ueluti notationes, & indicia quædam,

dam, de comœdia sumere poterimus. Vt illud est col-
loquium mulierum in Casina:
Vir me habet pessimis despicatam modis.
Mira sunt, uera si prædicas. Nam uiri.
Ius suum ad mulieres obtinere haud queunt.
Quin mihi ancillulam ingratis postulat, quæ mea est,
Quæ meo educata sumtu est, uillico suo dare.
Sed ipsus eam amat. Obsecro tace: nam hic nunc
Licet dicere, nos sumus. Ita est. Vnde ea tibi est?
Nam peculi probam nihil habere addecet
Clam uiro, & quod habet, partum ei, haud commodi
Quin uiro aut subtrahat, aut stupro inuenerit. (est,
Hoc uiri censeo esse omne quicquid tuum est.
Tu quidem aduersum tuam amicam omnia loqueris.
Tace sis stulta, & mihi ausculta, noli sis tu illi
Aduersari, sine amet, sine quod libet id faciat:
Quando tibi nil domi deliquium est.
Satin sana es? nam tu quidem aduersus tuam ista rem
Loquere. Insipiens. Semper tu huic uerbo uitato
Abs tuo uiro. Cui uerbo? I foras, mulier es.
Tace. Quid est? Hem, quis est quẽ uides? Vir, eccũ it.
Intro, abi, appropera, age amabo. Impetras,
Abeo. Mox magis, cum ocium mihi & tibi erit,
Igitur tecum loquar: nunc uale. Valeas.

Huiusmodi apud Plautum multa sunt. Si quis autem superioris generis & solutæ exempla orationis plura requirit, assumere uel de uno Plutarcho poterit pluri-
ma; ut præter indicata parallela illius Narrationes

amatorias, & fortia facta mulierum. Horum autem alia lætiorem, alia triſtiorem exitum habent. Subiecimus & nos colloquij cuiuſdam exemplum unum atq; alterum Mimicum: quod etſi non me fugit propter nouitatem incurſurum eſſe in aliquorum, ſi forte prolatum ſit, reprehenſionem, in aliquorum etiam deriſionem, tamen demonſtrandi huius generis gratia perficere non dubitauimus. Neq; dum ueſtrorum ſtudiorum utilitati inſeruimus, ſecundum quidem noſtram rationem, quid quiſq; uel ſentiat uel loquatur, mihi curandum eſſe exiſtimo.

COLLOQVIVM MVLIEBRE.

Marilla, Fabulla, matresff.
Venilia, Lucia, ancc.

M. *Mea tu Fabulla, quam mihi ſero aduenis?*
Salue quidem: tametſi tibi ſuccenſeo,
Quod fruſtra ut horas te prope expectauerim
Decem, minus aliquot, tibi ſolita accidit
Segnitia, & ingenerata lentitudine.
F. *Ne me Marilla accuſa. ego uolui quidem*
Statim uenire, ſicut heri promiſeram,
Sed mihi neceſſaria domi obiecta eſt mora.
Venilia abi, colum hic relinque. Si meus
Vir redierit mox de foro, mihi nuncia.
Illi memento, ſi rogabit, dicere,
Me huc iſſſe uicinam ſalutatum meam.

Atq;

Atq; audin? olera fac laues, ubi uenero,
Dabuntur oua, quæ statim ad cœnam coquas.
M. Tam quæso uobis modica satis est cœnula?
Ego tota cædere soleo carnaria,
Atq; ita tamen uix facio familiæ satis.
F. Nam tu quidem gentes uidere alere domi,
Non familiam. M. Sic est, uti dicis, mea
Fabulla: nostroq; hoc damno fit maximo.
Dumq; damus operam alijs, mereri dum bene
De alijs studemus, implicamur interim.
Et solicitudine nos conficimur, res perit.
F. Hau obsecro, quid ais? ego facere te lucrum
Putabam, & hoc labores solari tuos.
M. Me non quidem spes ulla mouerit lucri
Vnquam, ad tot & tam uarias solicitudines.
Sed tu, mea Fabulla, hoc filum quam tenue, quam
Subtile nes? linum optimum certe istud est.
Quanti redemtum? quæso. F. Maximo quidem,
Itaq; pudet dicere: neq; unquam sum uiro
Ausa indicare meo. M. Quid est? F. Quid rere? dic.
M. Numis duobus. F. Irrides. M. Volui parum
Id æstimans quod nuper ego paraueram,
Dicere. Sed heus tu Lucia, affer. L. Quid feram?
M. Mercatæ quod sum linum pridem in nundinis.
L. Vbi est situm? M. In penu, arca sub maiuscula,
In sacculo. Volo æstimare te, ut sciam
Quam bene pecuniam confecerim meam.

Sed ſtulta Lucia, uiden ut cum ſaccula
Onerata uix incedit? Ergo ſacculum
Oportuit te huc ſtulta totum accerſere?
Sat erat manipulum unum ſi afferres, aut duos.
Nunc obſecro dic quid uidetur? F. Sat bonum,
Niſi fragile eſt. M. Nihil minus. F. Tum ſat bonũ eſt.
Quanti datum? M. Vſitato conijce de foro.
F. Denario. M. Minoris haud multo quidem.
F. Quanti? M. Tribus numis. Et ei qui uendidit
Dedi inſuper prandiolum. F. Ego denario
Mallem prope abſq; prandio. M. Idem ait uir meus.
F. Quid ille ait tandem his de mercibus obſecro?
M. Quid dicat ille? emtis opus eſſe ait nihil.
F. Quin ingeris tu contra huic? Vnde ergo uis
Molles tuniculas interas parem tibi?
Quæſo unde lodices? & unde mapulas?
M. Dico illa ego quidem illi: at ille me facit
Riſus, mea cum ſolicitudine. F. Fit, ſcio.
Noſtras uiri curas nihili omnes æſtimant.
Atq; hæ tamen eorum excubant pro commodis.
Ita benefactis nulla gratia redditur.
Sed hoc quid eſt, Venilia quod huc aduenit
Curſu citato? neq; diu certe hic fui.
Vide, etiam anhelat. M. Age fores aperi aliquis.
F. Inſana, quid uis? quin mihi cito expedis?
V. Domum uenire te illico uir imperat.
F. Quid ille me uult? obſecro quid eſt? expedi.
V. Adduxit aduenies modo e foro hoſpites.

F. Quot

F. Quot nam ergo? V. Tres uidisse ego uideor mihi.
Sed audisse tot secuturos item.
F. Id fit propemodum, mea Marilla, cotidie.
Sed quod uiris nostris placet, nobis quoq;
Non displicere debet. Abeo, tu uale.
M. Et tu uale, atq; mox redito si potes.
F. Sequere Venilia, & colum cape: propera,
Ne mora uiro bilem moueat, ut fit, meo.

Neq; ego nunc uersibus hæc exempla propono, ut uos sequi iam adeo uelim, nisi qui forte componere soletis: de uersibus enim faciendis postea dicemus seorsum. Sed ut diebam, ideo hæc nostra qualiacunq; inserui, certius, ut istud genus expositionis mimicæ perspicere possetis. Atq; ubi ad carminum exercitia fuerit deinceps peruentum, hæc etiam ad illa assumere licebit. Verum non unius elocutionis in his fructus est, sed alij sunt maiores & præstantiores, qui ab explicatoribus poëtarum demonstrari discentibus debebunt. Sed nos promissum alterum etiam exemplum nostrum addamus, colloquij militaris.

Strato, Thraso, Vitus, Cacula.

St. Saluere Thrasonem iubeo, summum meum.
Th. Salue Strato. Sed unde nunc cedo aduenis?
St. Vix te licuit in oppido toto diu
Quærentem & errantem inuenire. Latebræ ubi
Sunt dic tuæ? Nam nunc nisi forte mihi obuiam
Hic factus esses, prius egens, inops, miser,

Cogerer abire, quam liceret ope tua
Vti atq; consilio, ut sæpe usus ante sum,
In rebus afflictis & incertis meis.
Th. Vnde aduenis nunc? St. Vnde minime me uelim,
E Gallia. Th. De cuius castris? St. Cæsaris:
Morbo fameq; confectus, sicut uides.
Th. Nolim quidem. Sed quando uisum ita est Deo,
Animo esse te bono iubeo, & uolo, Strato.
Non deseram te, sic me Mauors adiuuet.
Etiam aurei nunc sunt mihi reliqui duo,
Aut tres, uel his plures quoq;. St. Ego noui, & scio.
Th. Mecum ergo eris, dum fors nouum obijciat lucrū.
Quod equidem & expecto, atq; miror, & fero
Moleste, ita diu me spem frustrari meam.
Nam sunt mihi missæ huc epistolæ, quibus
Et mea opera est conducta, sumq; militem
Cogere rogatus, ut statim scribam, simul
Atq; alteris sim facere iussus literis.
Nunc has ego indies expecto, & milites
Me solicitant, in quos prope omnia iam mea
Impendi, ut hic retineam, ne alio se trahi
Rumoribus sinant. Itaq; torques duos,
Et annulos decem oppositi modo, ad aureos
Ter Gallicos ducentos & quater decem.
St. Tot inquis illos? Th. Tot: nec alijs uendere
Totidem uelim. St. Isthæc summa quanta est obsecro?
Th. Mille & ducenti & octoginta. St. Maxima est.
Th. In his enim annulis, uidere quos Strato

Velles,

Velles, relucent eximiæ ut ſolis iubar
Gemmæ. Sed aurum torquium pulcerrimum eſt,
Tum pondus ingens. St. Quantum id eſt? dic obſecro.
Th. Seſqui utriuſq; pondo. St. Quid narras? Th. Ita eſt.
Volumina faciunt quaterna ſinguli, &
Tamen uſq; dependent. St. Vel iſtud pallium
Vt eſſe precioſum uideo, & decere te:
Tum cæteræ omnes ſunt ueſtes cariſimæ.
Th. Nihil hæ quidem præ illis ſunt, multiplices domi
Quas pulcriores longe & maioris precij
Habeo alias. St. O te beatum, cui bona
Larga manu Fortuna fudit copias.
At nos inanes, laceri, egentes, debiles,
Mendica turba, plebis alumni ruſticæ,
Formiduloſi nemini, odium publicum
Obambulamus, abſq; re, abſq; nomine.
Th. Erit melius aliquando: nunc ad me domum
Eamus. St. Etiam tu hic parauiſti domum?
Th. Mille & trecentis emi ego hanc quidem aureis.
Quæ nam uidetur hæc? Sed intus perſpice.
St. Hic te iubebar equidem dudum quærere,
Sed te inuenire nunquam potui. Th. Raro enim
Domi eſſe ſoleo. St. Cur? Th. Fumus moleſtus eſt.
St. Vxorem habes? Th. Nuper data eſt quædã mihi.
St. Quid de Gradilla factum, amica olim tua?
Th. Cum dote prius hanc elocaueram uiro.
St. Sed uxor hæc minus ne commoda obtigit?
Th. Quid nos, malum, muliebribus de moribus

Viros ſolicitari, & uiros fortes decet?
Vno illam ego uerbo facile reiecero.
Vel uerba ſi proſint minus, habeo manus.
Th. Laudo, uir es. Nam hoc piſcibus genus aridis
Per eſt ſimile: nunquam niſi uerberaueris
Multum, diuq; hoc perfrui poſſis cibo.
Th. Ego ita eſſe comperi. Heus ubi es Vite? V. Aſſum (ego.
Th. Quid cantharus ſibi iſte uult maſtigia?
V. Nihil hic enim: hinc modo ego illum inanē ſuſtuli.
Th. Credo, ſed a te prius euacuatum, ſcelus.
Noui te ego uini tu fur es maximus.
Quis adeſt domi? ubi domina eſt? V. Modo exijt foras.
Th. Quonam illa abiuit? V. Non ſolet mihi dicere.
Th. Ita quidem abierit, ut redire non uelit.
Vel ſi uelit, tum crure fracto ut non queat.
At tu optimos afferto piſces. Tu hic Strato
Aßideto, atq; tuæ eſſe te domi puta.
Tu Vite, piſces optimos huc de foro
Afferto, & aliud ſi quid lautum uideris,
Quod percoqui poßit cito, cape pallium.
St. Ego capiam. Th. Ego non patiar. Heus, i ſtrenue.
Noſtroſq; conuoca ſodales illico,
Sangam tribunum, & centurionem Caſparem,
Et Ludelum ſignifērum, & ſcribam Cotium.
Hilarem hunc diem mihi ſumere ſtat ſententia.
V. Fiet quod imperaſti. Th. Age redi: heus huc prius
Afferto uinum, ne interim nos gutture
Hic aßidentes te expectemus arido.

Quid

Quid ſtas? uola, cito huc reuertere, ut ſoles,
Quaſi ſubleuatus, uerbero, alis plumbeis.
Ego te aliquando, proditor, inſtigauero.

Addamus & ſoluta oratione noſtrum adhuc etiam unum huius actuoſarum narrationum generis exemplum. Veni nuper ad neceſſarium noſtrum, qui adminiſtrat atq; procurat, ut ſcis, potentum quorundam & locupletum hominum negocia. Atq; illum reperi ſedentem ad ephemeridas, & ſubducentem quaſdam rationes expenſi. Tum illo ſalutato, Quid fit? inquam. Recte, inquit. Quantum debeatur mihi, ſi quid tamen debetur, conſidero. Ita uelim, inquam, teq; debere nolim. Sed niſi moleſtum eſt, & ſi licet, recenſe capita iſtarum notationum: lubet enim etiam mihi cognoſcere ueſtra impendia, noſtra enim tibi nota ſunt fere uniuſmodi, in panes, in uillum, in ueſtimenta etiam interdum, in mercedem ædium. Scio, inquit ille, ſed iſta ſunt eximia. Credo, inquam, atq; ita eſſe neceſſe eſt, ut in hoc uitæ ſplendore & magnificentia, ſingulares etiam ſumtus fiant. Sed fis ne eſt audire. Maxime, inquit, non enim ſunt hæc arcana, quæ ego tracto. Alij igitur, inquam, alia? Quid ni? inquit, nam non omnium eadem natura & captus eſt, neq; committenda omnia omnibus. Intelligere mihi uideor, inquam, in ueſtris rebus quædam eſſe quaſi myſteria. Sed tu hæc tua profana ſcilicet recita iam, ſi uidetur. Auſculta igitur, inquit. Hoc ago, inquam. Ibi hæc ferme ille.

Expen-

Expensa in conuiuium Cal. Ian. Obsonatum numis octingentis. Emta uina exotica numis ducentis. Conducti coci, quinquaginta numis. Donati circulatoribus & ridiculis numi C. In choreæ sumtus impensi totidem. In secundas mensas & potus, numi CXX. Summa expensi, numi mille ducenti septuaginta. Item hæc: Idibus April. soluta pecunia pro uestibus. Emta palla mulieri quinq; milibus, pro uestibus herilis filij, mercatori Florentino numerati milia duo. Aurifici datum aurum redemtum decem millibus, manupretium, numi quadringenti. Curatus torques filiæ. Puero emtus pugiunculus XL. numis. Pileolus exornatus CXX. Equulei, & alia ludicra, LX. Summa omnium, decem & septem milia, sexingenti, uiginti numi. Cum hæc & similia alia in equos, uehicula, in aduocatos & executores litium, & id genus plurima percensuisset: Ecquidne, inquam, aliud in magis necessaria a te solet impendi? In quæ nam, inquit ille, quæris? In amicos, inquam, & bonos uiros, paupe-
res absq; sua culpa: in mercedes educationis, & doctrinæ liberum, in præmia eruditorum & sapientum uirorum. Huiusmodi quidem, inquit, habeo separatim, quasi parerga maiorum operum perscripta, neq; multa sane & exilia. Licet ne audire? inquam. Nihil, inquit, prohibet. Dedi nonis Iunij iubente domino, uicino nostro textori mutuo numos XII. Obsecro, inquam, non donari hæc solent? Si non reddantur, minus, inquit, acerbe exigi solent. Viduæ Agnetidi,

dati

dati numi X. In calamitate incendij petentibus pueris quinq;, dati singulis bini asses. Expensa eodem die pridie Calend. Sextil. Pædagogo soluta calendis Septembris merces annua, numi ducenti. Emtus puero minimo libellus numis VIII. Poëtæ, qui carmen obtulerat domino, dati iussu ipsius numi X. Grammatico, qui librum attulerat, numerati XX. numi, die IIII. nonarum Octobrium. Deum immortalem, inquam, quanta hæc diligentia? Nos tenues & nulla cum re homunculi, tamen negligere, neq; notare huiusmodi solemus. Non, inquit, melius hoc est. Nam minima qui negligit, maxima haud fere obtinet. Ita sit sane, inquam. Sed iste poëta & grammaticus, quid uersuum, quidq; libri attulerant? Grammatici erant, nescio quæ explicationes alicuius autoris ueteris linguæ Latinæ, quo se dicebat donare nostrum herum.

Parum grato, ut uidetur, inquam, munere. Sed poëta quid? Versiculis, inquit, quibusdam laudauerat a liberalitate & benignitate dominum.

Non placet hæc laus illi, inquam. Quid ita? inquit. Quia redarguit, inquam, laudatorem. Quonam, inquit, pacto? Illiberalitate & exilitate præmioli. Nam tales, inquit, si inescare uelimus, sturnatim aduolaturi sint: qui sic tamen quocunq; modo tractentur, hanc speculam sectari solent. Miseri, inquam, profecto, & deplorandi cum propter opinionem, tum fortunam suam. Sed ego tibi negocium facesso, aliud acturo. Est sane aliquid negocioli, inquit,

quod

quod statui hoc die perficere. Vale igitur, inquam. Et tu, inquit, bene uale.

FABVLAE POETICAE.

SEquitur narratio poëticarum fabularum, quæ non modo a ueritate longißime, sed ab huius etiam similitudine absunt. Vt tota Hesiodi, quamuis de autore ambigatur, Theogonia. Et Tragœdiæ omnes: & Homericæ quædam historiæ. Huc pertinent & Philosophorum Aegyptiacæ, ut uidetur, fabulæ, quæ allegoriam habent aliquam rerum naturalium, aut etiam morum. Vt apud Platonem Gygis fabula, & Generum uitæ sortitio. Huiusmodi multa in superstitione omnium seculorum & gentium, temere fortasse pleraq;, & credita & memorata scimus. Pertinent autem omnia uel ad instructionem uitæ, uel ad animorum terrorem & metum, ut uirtus ametur, atq; turpitudo uitetur. Quemadmodum & Homerus suam fabulam interpretatur, Odiß. θ'. gnoma addita,

Οὐκ ἀρετᾶ κακὰ ἔργα, κιχάνεται βραδὺς ὠκύν.

Vel etiam referuntur ad doctrinam naturæ, ut eadem illa fabula Martis uincti & infamati, ad astrologicam rationem: uel historiæ ueritatem, ut Europæ raptus. Sed de allegorijs dicemus separatim. Nunc exempla, in quibus sunt omnia, exequamur.

Fabula

Acrisius pronepos Aegypti & Danai, de filio illius, huius filia, duxit, ut accepimus, uxorem Eurydicen Lacedæmonis filiam, & ex illa suscepit Danaen. Cum autem cõsuluisset Deum de prole quæ mas esset, respondit hic, ipsum quidẽ filium procreaturum non esse, sed habiturum nepotem, a quo interitus ei impendeat. Hoc edito oraculo, curat ille ab Argolicis fabris cyclopibus, thalamum intra ædes extruendum æneum, atq; in eo filiam includit una cum nutrice, ratus ita facile caueri posse, ne illa sibi exitiosum nepotem partu ederet, quippe ad quam nemini omnium mortalium accessus pateret. Sed Iuppiter hanc fertur adamasse, & immisisse in gremium uirgini aureum imbrem, in quo ipse lateret, atq; ita postea cum Danae concubuisse, & impleuisse illam Perseo, quem mater nominasse traditur Eurymedonta. Ac puerum quidem adiuuante nutrice, clanculum educat Danae, donec tandem trimuli cachinnulos forte exaudijt Acrisius. Ibi ira hic percitus, accersitam ad se una cum filio & nutrice Danaen, percontatur, ex quo susceptus puer sit. Quæ cum responderet, Iouem patrem esse illius, asseueranteq; idem nutrice, & totam rem exponente, hic se illudi putans, mox necari anum iubet. Veritus autem contaminare manus suas filiæ nepotisq; sanguine, in arcam ambos includi, & in mare abijci imperat. Hanc fluctus appulerunt in-

sulæ

sulæ Seripho, in qua regnum teneret Polydectes, cuius frater Dictys, qui forte tum piscatum ad mare abijsset, conspectam arcam in terram extrahit, & audita uoce intus orantis se uti seruaret, aperit illam, omniq; re cognita de Danae, domum ipsam deduxit, & honeste secum habuit. Cum autem Perseus adoleuisset, Polydectes quodam tempore amore captus Danaes, quomodo illa potiri posset, quærebat, ac reperiebat solum Persea obstare cupiditati suæ. Hunc igitur abiegandi omnes occasiones persequebatur. Quodam autem tempore ad conuiuium uocatis compluribus, atq; etiam Perseo, quid quenq; rependere uellet, interrogante Perseo, equum popposcit Polydectes. At Perseus irridens tantum postulatum: Imo, inquit, Gorgonis caput ego feram. Hoc dictum Polydectes arripit, & afferre Persea quod promiserit, iubet, interea pignoris loco retenturum se matrem ipsius. Perseus iocum & risum in tam tristem exitum euasisse dolens, in solis insulæ locis secum conqueri infelicitatem suam, & dubius animi, consilijq; inops, deorũ implorare opem, præcipue Iouis, a quo petere ut matri & sibi succurreret, si uere pater suus esset, neq; culpam mater conficto autore tegeret. Mittit igitur Iuppiter Mercurium, qui primum illum deduceret ad Phorci anus tres, Pemphredo, Ento, & Læno. Accesit & Minerua adiutrix. Docent igitur illum dij, surripere aniculis oculum ac dentem: uno enim utroque uniuersæ uicissim utebantur. Quo facto, illæ requirere

inter

inter se oculum & dentem, neq; reperire, intelligunt ergo subtractum utrunq; sibi, ac queruntur lamentabili uoce fortunas suas. Tum Perseus, monstrante Minerua, & habere se oculum atq; dentem profitetur, & restituere uelle, si ostendant sibi nymphas, quæ custodiant Orci galeam, alataq; talaria, & diuinum sacculum. Quo facile impetrato, reddit oculum & dentem Phorci filijs, ipse cum Mercurio ad Nymphas illas contendit, exoratisq; his ut ea sibi quorum gratia aduenisset, impertirent, primum pedibus annectit talaria, deinde sacculum dorso applicat, postremo Orci galeam capiti imponit, atq; ita trans mare auolat comitante Mercurio & Minerua. Cumq; uenisset ea in loca Africæ, quæ Gorgones incolebant, quarum tanta esset uis, ut aspectu suo in saxa conuerterent homines, monitus a Minerua, a tergo ipse reflexo capite adoritur Medusam: hæc enim & ipsa Phorci filia, sola mortalis erat: & amputatum caput illius in sacculum demittit, transque mare, qua uenerat, reuolat. Sequuntur sorores, sed frustra: tectum enim Orci galea, cernere non poterant. Ita peruenit in Seriphum Perseus. At Polydectes, Ecquid attulisset caput Gorgonis, per lusum quærebat. Ille uero attulisse se respondit, & aspicere iubet, prolatumq; ostendit Polydecti, & illius factioni, qui subito uniuersi in saxa mutantur. At Perseus talaria quidem & sacculum Mercurio, qui ad Nymphas referat, tradidit: caput autem Gorgonis inseruit umboni clipei sui Pallas.

Postea ille cum matre & coniuge Andromeda Cephei filia, quam bellua marina interfecta, cui proposita fuisset, liberarat a morte, cupidus uidendi aui Argos proficiscitur, relicto regno Seriphio Dicty fratri Polydectis. At ille nepotis uirtute & factis cognitis, metuens ne iniuriam allatam sibi ulciscereturce dit patria, & in Thessaliam, quæ tum a Pelasgis tenebatur, se confert. Perseus uero secutus, & amantissime complexus auum, persuadet huic secum ut in patriam & regnum suum reuertatur. Lariſſæ tum degebat Acrisius, atq; huius urbis incolæ uenerari ac suspicere Persea, cuius admirabilium facinorum fama & ad ipsos peruenisset. Hic autem cum alijs rebus augere illam, tum discum iaciendo: hoc enim certamen iuuentutem primum Persea docuisse ferunt. Cumq; exerceretur cum Lariſſeis ambitiosius, acceßit propius Acrisius, delectatus laude nepotis, ac non prouisum orbem disci subit: qui delatus in pedem ipsius, ita afflixit senem, ut de uulnere paulo post moreretur, ac fidem faceret interitu suo oraculo dato, cum nihil illi consilia uitandi exitij profuissent.

FABVLA GYGAE, EX Secundo πολιτειῶν.

Gygæ auum seruijsse tradunt regi Lydorum, cuius greges pascaret & custodiret. Quodam tempore largo imbre & motu terra prope ipsum discesßit magno

magno hiatu. Hoc cum uidisset, admirans, ausus tandem fuit descendere, ac uidisse eum quidem memorant cum alia multa admirabilia, tum equum ex ære cauum cum fenestris. Per quas introspiciens, conspexit hic cadauer intus depositum, magnitudine supra corpus humanum. Hoc nudum in manu annulum gestabat, quem demit pastor, & de specu exit. Postea in conuentu pastorum, quem de more celebrabant mensibus singulis, cum nuncios rerum pastoralium ad regem mittere solebant, affuit hic cum annulo. Interq; alios assidens, forte fortuna annulum conuertit intra manum aduersus se, quo facto, non magis ille apparuit, & qui aderant requirere tanquam absentem cœperunt. Hoc cum mirum uideretur, reuertit ille applicata manu annulum, ut ea pars cui gemma includi consueuit (Græci fundam, Latini palam nominauere) extra esset: ita rursum comparuisse hominem, aiunt. Quo animaduerso, tentare instituit, num tantam uim annulus contineret, atq; comperit, quoties funda seu pala intro ducta esset, non cerni se: quoties reducta in lucem, rursum se quoq; apparere. Tum eum tradunt perfecisse, regius ut minister designaretur. Ibi adulterum factum reginæ, unaq; cum hac insidiatum regi ferunt, & eo interfecto regnum Lydiæ obtinuisse.

Hæc Cicero perstringit libro Offic. 3. his uerbis.

Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumq; equum, ut ferunt fabulæ, animaduertit, cuius in lateribus fores essent, quibus apertis corpus hominis mortui uidit magnitudine inusitata, annulumq; aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit, erat autem regius pastor. Tum in consilium se pastorum recepit, ibi cum palam eius annuli ad palmam conuerterat, a nullo uidebatur, ipse autem omnia uidebat: idemq; rursus uidebatur, cum in locum annulum inuerterat. Itaq; hac oportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit, eaq; adiutrice regem dominum interemit, sustulitq; quos arbitrabatur obstare, nec in his eum facinoribus quisquam potuit uidere. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ.

SORTITVS ANIMARVM ex Eris Pamphilij narratione de fine πολιτειῶν i.

Cum ad Parcas uenissent, statim coactos aiebat fuisse ad Lachesin accedere. Ibi autem quendam ipsos primum ordine collocasse, deinde acceptis de genibus Lachesis sortibus, atq; uitarum exemplis, conscensoq; editiore loco, hæc locutum esse. ORAtio Lachesis, quæ Necessitatis filia est. Animæ caducæ, initium alterius ambitus mortalis & mortiferi generis: non

uos

uos sortietur Genius, sed uos Genium eligetis. Ac cuius primo sors exierit, is primus sumat uitam, quam deget postea necessario. Virtus autem nullo dominatu premitur. Quam ut quisq; coluerit, aut spreuerit, ita illa magis minus ue potietur. Cuiusq; autem futura propria culpa est: at Deus culpa carebit. Hæc locutum, dissipasse sortes inter omnes: cœpisse autem eam quemq;, quæ ante se decidisset, se excepto, nam capere sibi non concessum fuisse. Qui autem cepisset, illi statim apparuisse quotus esset numero. Postea & uitarum exempla proposuisse humi, multo plura quam ipsi essent. Fuisse autem multiplicia. Nam cum omnium animalium uitas in illis, tum uniuersas humanas fuisse. Interq; has, & Tyrannidas, alias stabiles, alias uero minus durabiles, inq; egestates & exilia & mendicitates desinentes: Interq; & probatorum uirorum uitas, quasdam forma & pulcritudine, & præterea robore atq; certaminum laude: quasdam genere, & maiorum uirtute, similiq; laude probatorum: Eodemq; modo & mulierum uitas fuisse. Ordinem autem animæ nullum: propterea quod alienam uitam capessentem, aliam illam reddi necesse sit. Cætera uero inter se, diuitijs alia & egestate, alia morbis & sanitate, quædam & mediocritate quadam prædita esse. Hoc, mi Glauco, maximum periculum hominibus obijcitur. Huiusq; caussa in primis studendum, ut alijs omnibus disciplinis neglectis, hanc unam disciplinam exquiramus atq; discamus, ut liceat

aliquando cognoscere atq; inuenire, quis nam unum-
quenq; ad hoc instruere ualeat, quo possimus uitam bo-
nam a praua distinguentes, meliorem semper, quoad
fieri poterit, eligere: repetentes animo, omnia quæ
dudum disputata sunt, eaq; conferentes & diuidentes,
in consideratione perfectæ uirtute uitæ. Ne ignore-
mus, ecquid forma, egestate diuitijs ue temperata,
cumq; quali quodam animæ habitu, mali boni ue causſa
existat. Item, nobilitates & ignobilitates, tum priua-
ta uita & honorata, uiresq; & debilitas, ingeniosi-
tas item & tarditas animi, omniaq; hæc quæ natura ipsa
animæ attribuit: nec non ascititia quoq; commista in-
ter se, quid nam efficiant. Vt de omnibus comparatiõe
facta, respectu naturæ animæ possimus meliorem a de-
teriore uita discernere: eam quidem appellantes de-
teriorem, quæ hanc illo abductura sit, ubi improbior
fiat: meliorem uero, quæ, ubi reddatur probior. Cæ-
tera uniuersa ualere iubebimus. Vidimus enim hãc esse
electionem optimam & uiuenti & morienti. Qua-
re in hac adamantina quadam persuasione, ad inferos
descendendum est, ut anima illic etiam neq; a diuitijs,
neq; ab alijs huiusmodi malis percellatur. Neue de-
lapsa in tyrannides, & actiones similes, cum designet
multa & indigna facinora, tum uero maiora ipsa per-
ferat. Verum ut norit eam semper uitam eligere, quæ
media sit quædam, & in utranq; partem extra mo-
dum prodeuntia fugere, neq; solum in hac uita, quo-
ad licebit, sed & in tota illa secutura. In hoc enim

summa

summa hominis est felicitas. Ac tum quidem illarum rerum nuncius narrabat, uatem & hæc dixisse. Etiam qui ultimo loco forte eliget, ei, si prudenter elegerit, & attente uixerit, proposita uita est non recusanda, neq; mala. Nec princeps in electione negligens, neq; ultimus tristis esse debebit. Hæc illo locuto, aiebat, eum cui prima sors obtigisset, statim accedentem, maximam omnium tyrannidem elegisse, atque ita quidem elegisse, ut per amentiam & uentris studium nequaquam satis omnia contemplaretur, neq; animaduerteret includi fatum uorandorum liberum, & mala quoque alia. Postea uero quam ociose perspexerat, tum seipsum planxisse & deploraſſe electionem, oblitum eorum quæ uates prædixisset: neque se ut mali autorem accusauisse, sed fortunam & deos, ac quemuis potius quam seipsum. fuisse autem unum de cœlestibus hunc aduenis, qui ante in bene constituta repub. uixisset, uirtutis particeps, more quidem, non philosophia. Ac ferme plures esse qui decipiantur in his, illos cœlestes aduenas, quippe inexercitatos laboribus. Plerosq; autem terrenos, quippe qui & ipsi in laboribus uersati sint, & uersari alios uiderint, impetu quodam non eligere. Itaque multas animas & malorum & bonorum mutationem reperire, in hac etiam sortis fortuna. Nam si quis in hanc uitam ingressus rite philosophetur, & postea sors electionis non postrema illi obuenerit, is plane uidetur secundum hanc narrationem

non hic modo felix futurus, sed etiam hinc illo: & rursum huc, iter non terrestre neq; asperum, sed leue & cœleste facturus esse. Atque illud dignum uisu fuisse memorabat spectaculum, quo quæq; animæ modo uitas eligerent, cum esset & miserabile, & ridiculum, & admirandum. Electionem enim pleraſq; fecisse de prioris uitæ consuetudine. Vidisse enim se animam quæ Orphei olim fuisset, oloris eligentem uitam, odio muliebris sexus, quod nollet, interfectus quondam a mulieribus, mulieris partu in lucem edi. Vidisse & Thamyræ, luſciniæ eligentem uitam. Vidisse & olorem, mutata uoluntate, humanam eligentem uitam. Itemq; alia similiter animalia, musica nimirum. Quandam etiam sorte oblata animam, leonis elegisse uitam: eamq; fuisse Aiacis Telamonij: qui in memoria iudicij armorum, homo fieri nollet. Post hanc proximam Agamemnonis, quæ & ipsa humanum ob miserias suas odisset genus, commutasse priorem uitam cum aquilina. Inter medios autem illos sortem obtigisse Atalantæ, eamq; conspicatam magnos honores uiri, qui athleta esse deberet, præterire non potuisse, sed arripuisse. Posthæc uidisse Epei F. Panopei animam, abeuntem in sexum mulieris artificiosæ, longe uero in ultimis uidisse ridiculi illius Thersitæ animam, quæ simium indueret. Forte autem Vlyßis animæ obuenisse omnium postremam sortem, eamq; abijsse ad electionem, ac memoria laborum ueterum, ambitione liberatam, quæ siuisse diu oberrantem

tem hominis priuati neq; curiosi uitam, uixq; inuenisse iacentem alicubi, & ab alijs neglectam, dixisseq; hac uisa, idem facturam se fuisse, etiamsi primam sortem esset nacta: & libenter illam accepisse. Sed & de alijs bestijs similiter in homines, & in sese abijsse: improbas in feroces, probas in mites, fuisseq; mistiones multiplices. Iam uero uitis captis cum legissent singulæ sortito, acceßisse animas ordine ad Lachesim, eamq; singulis electum Genium addidisse, uitæ custodem, & electionis consummatorem. Quem duxisse quamq; primum ad Clotho, subter illius manum & turbinis fusi conuersionem, electum post sortem fatum confirmantem. Deq; huius contactu deinde animam ad Atropi duxisse filum, ut fierent irreconuersa ea quæ Clotho sanxisset. Hinc abijsse recta sub Necessitatis solium, perq; illud transgresso hoc, itemq; alijs, uniuersos per feruorem & æstum horribilem deuenisse in obliuionis campum, plane nudum ab arboribus atq; alijs quæ de terra nascuntur. Tentoria igitur posuisse, cum iam uespera esset, ad fluuium Incurium: cuius nullum uas aquam continet, certam autem illius mensuram ebibere, necesse omnibus esse, at eos quos prudentia non conseruarit, bibere etiam amplius. Sed ut quisq; biberit, obliuisci mox omnium. Cum uero iam obdormijssent, & noctis mediæ tempus esset tonitru extitisse & terræ motum. Indeq; repente alium alio sublatum, discurrentes ad generationem uelut stellas. Se autem bibere illam aquam

fuisse prohibitum uerum qua ratione, quo ue modo in corpus redierit, plane nescire: sed repente oculis apertis, uidisse mane in rogum se impositum. Hæc fabula, o Glauco, conseruata est, & non perijt. Nosq; facile conseruarit, si illi parere uoluerimus, sicq; & obliuionis fluuium rite transierimus, neq; animam pollueri-mus. Quare mihi quæso credamus, & in persuasione non modo immortalem esse animã, sed nihil etiam esse neq; mali neq; boni quod illa non sustinere possit, sursum ducentem uiam semper teneamus: iusticiæq; una cum prudentia omnibus modis studeamus, ut & nobis ipsis & Dijs adeo cari simus, utq; cum hic in hac uita remanentes, tum ubi iam quasi uictores præmia illius consecuti erimus, perfecto & huius & illius millenum annorum spacij cursu, beati simus.

EX VERRINA VI DE Cerere Ennensi.

Vetus est hæc opinio, quæ constat ex antiquissimis Græcorum literis atq; monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam, hoc cum cæteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, ut animis eorum insitum atq; innatum esse uideatur. Nam & natas esse has in his locis deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur. Et raptam esse Liberã, quam eandem Proserpinam uocant, ex Ennensium nemore: qui locus, quod

quod in media est insula, umbilicus Siciliæ nominatur. Quam cum inuestigare & conquirere Ceres uellet, dicitur inflammasse tædas ex ijs ignibus, qui ex Aetnæ uertice erumpunt: quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnium peragrasse terrarum. Enna autem, ubi ea quæ dico gesta esse memorantur, est loco præcelso atq; edito, quo in summo est æquata agri planicies, & aquæ perennes. Tota uero omni aditu circumcisa & diremta est, quam circa lacus luciq; sunt plurimi, & lectiß. flores omni tempore anni, locus ut ipse raptum illum uirginis, quem iam a pueris accepimus, declarare uideatur. Etenim propter est spelunca quædam conuersa ad Aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamq; ex eo loco uirginem secum asportasse, & subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras, lacumq; in eo loco repente extitisse, ubi usq; ad hoc tempus Syracusani festos dies anniuersarios agunt, celeberrimo uirorum mulierumque conuentu.

DE ACCIO NAVIO, EX Primo libro Diuin.

Quid multis annis post Romulum Prisco regnante Tarquinio, quis ueterum scriptorum non loquitur, quæ sit ab Accio Nauio per lituum regionũ facta descriptio? Qui cum propter paupertatem sues puer

pasce-

pascerет, una ex his amissa uouisse dicitur, si recuperasset, uuam se Deo daturum, quæ maxima esset in uinea. Itaq; sue inuenta, ad meridiem spectans, in uinea media dicitur constitisse. Cumq; in quatuor partes uineam diuisisset, tresq; partes aues abdixissent, quarta parte, quæ erat reliqua in regione distributa, mirabili magnitudine uuam, ut scriptum uidemus, inuenit. Qua re celebrata, cum uicini omnes ad unum de rebus suis referrent, erat in magno nomine & gloria. Ex quo factum est, ut eum ad se rex Priscus accerseret: cuius cum tentaret scientiam auguratus, dixit ei, cogitare se quiddam, id posset ne fieri consuluit. Ille augurio acto, posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem nouacula posse præcidi. Tum Accium iussisse experiri. Ita cotem in comitium allatam, inspectante & rege & populo, nouacula esse discissam. Ex eo euenit, ut Tarquinius augure Accio Nauio uteretur, & populus de suis rebus ad eum referret. Cotem autem illam & nouaculam defossam in Comitio, supraq; impositum puteal accepimus.

Huc addamus & lupam Romuli, & Geryonem atq; Cacum Herculis, & alia permulta de scriptis historicis, ad scenæ ostentationem miraculis gaudentis composita, ut ait Liuius. Quod si quis plura etiam exempla forte requirit, assumat ille licet totam Ouidianam Metamorphosin, & uniuersam Tragœdiam. Sed de ex sitis facile quisq;, ut arbitror, cuiusmodi

iusmodi harum narrationum genus esse intelligi uelimus, perspicere poterit. Quare ad duo iam reliqua narrationum genera transeamus.

DE HISTORIA.

Historiam mediam quandam inter ueras & fictas narrationes placuit ponere. Sed huius, qua parte uerum uideri uolumus, non ueritatis tantum similitudo, sed plane forma & opinio esse debebit. Reliqua consentanea erunt argumento & expositione. Atq; est huius opus grande & eximium: sed nos in præsentia particulas, & quasi ramentas consectamur. Et exempla quidem ex ueterum scriptis assumere, quamuis multa, unicuiq; in promtu fuerit: nos uero Ciceroniana quædam afferamus, & nostra deinceps subtexamus.

Ex proœmio lib. 3. de Orat. de morte Crassi. Vt enim Romam redijt extremo Scenicorum ludorum die, uehementer commotus ea oratione, quæ fereba-tur habita esse in concione a Philippo: quem dixisse constabat, uidendum sibi aliud esse consilium, illo senatu se rempub. gerere non posse, mane idibus Septembris, & ille & senatus frequens uocatu Drusi in curiam uenit, ibi cum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam grauiter in concione esset inuectus. Hic, ut sæpe inter homines sapientissimos constare

constare uidi, quanquam hoc Crasso cum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur: tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, cæteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deplorauit enim casum atq; orbitatem senatus, cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario prædone diriperetur patrimonium dignitatis. Neq; uero esse mirandum, si cum suis consilijs rempub. profligasset, consilium senatus a repub. repudiaret. Hic cum homini & uehementi, & diserto, & in primis forti ad resistendum Philippo, quasi quasdam uerborum faces admouisset: non tulit ille, & grauiter exarsit, pignoribusq; ablatis Crassum constituit cohercere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso diuinitus dicta efferebantur, cum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. An tu cum omnem autoritatem uniuersi ordinis pro pignore putares, eamq; in conspectu populi Romani concideres, me his pignoribus existimasti posse terreri? Non tibi illa sunt cedenda. Si Crassum uis cohercere, hæc tibi est excidenda lingua: qua uel euulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. Permulta tum uehementiß. contentione animi, ingenij, uirium, ab eo dicta esse constabat, sententiamq; eam quam senatus frequens secutus est, ornatißimis & grauißimis uerbis, ut pop. Romano satisfieret, nunquam senatus neq; consilium

reip.

reip. nec fidem defuisse, ab eo dictam: & eundem, id quod in autoritatibus perscriptis extat, scribendo affuisse. Illa tanquam cygnea fuit diuini hominis uox & oratio: quam quasi expectantes, post eius interitum ueniebamus in curiam, ut uestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Nanq; tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremq; multum consecutum esse audiebamus, ex quo cum cohorruisset, cum febri domum redijt, dieq; septimo ex lateris dolore consumtus est.

Est & elegans oratorum historia χρονικὴ quædam in Bruto, de qua libuit hanc particulam referre. Post hanc ætatem aliquot annis, ut ex Attici monumentis potest perspici, Themistocles fuit, quem constat cum prudentia tum etiam eloquentia præstitisse. Post Pericles, qui cum floreret omni genere uirtutis, hac tamen fuit laude clarissimus. Cleonem etiam temporibus illis turbulentum illum quidem ciuem, sed tamen eloquentem constat fuisse. Huic ætati suppares, Alcibiades, Critias, Theramenes, quibus temporibus quod dicendi genus uiguerit, ex Thucydidis scriptis, qui ipse tum fuit, intelligi maxime potest, grandes erant uerbis, crebri sententijs, compressione rerum breues, & ob eam ipsam caussam interdũ subobscuri.

Est & multo elegantissima narratio eiusdem autoris eodem in libro, de se, & de Hortensio: quæ propemodum una ad historicæ narrationis proprietatem & naturam, tum uero præstantiam & laudem

depre-

deprehendendam & cognoscendam satis uidetur esse posse. Ea igitur sæpe & multum a uobis legetur, atq; relegetur.

Neq; nunc in hoc commorandum puto, ut quod inter historiam & annales discrimen sit exquiramus. Neque colligendæ uidentur huius generis laudes, ut doceamus de Ciceronis sententia, Historiam esse clarissimum & præcipuum oratoris opus. Etiam hoc omittendum existimo, neq; plane solutam, neq; tamen uersibus numerosam historiæ orationem esse oportere, ut hanc elocutionem splendidam & copiosam atq; ornatam singularem in modum reddi necesse sit, si consequatur perfectionem suam. Deniq; quam multa habeat oratio & historia communia, quam multa diuersa, ut ait Plinius. Hæc igitur omnia in præsentia missa facienda duximus. Non enim instituto nostro conuenire uisa, & in eximio quasi robore eruditionis non leuia neq; facilia futura sint, nedum his par esse posit, uel ætas uel facultas eorum qui a nobis nunc quidem instituuntur. Hi igitur intellexisse aliquam esse singularem formam historicæ narrationis, & talis quasi particulam aliquam considerasse, in præsentia satis habeant. Hoc quidem & ipsum tamen discant, in historica narratione multo maiore & magis exquisita attentione esse opus, quam in alijs de quibus iam diximus. Itaq; huius narratores, diligenter & patriam & originem, & genus & maiores, & loca atque tempora commemorabunt, & omnes

quas

quas περιϊάσεις Græci uocant explicabunt. Si quid in laude, si quid in uicio positum sit, non præteribitur. Quamuis enim in fabulosis hoc etiam, expositio ut uerisimilis reddatur, præstandum sit, tamen non tanta cura neq; attentione ac quasi conformatione omnium opus. In illis enim multa argumenti caussa concedi, atq; ea non abhorrere a captu quodam & sensu communi, satis esse putatur. Hæc & consentire & plana esse, & ueritatem complecti, uideri uult, & distincta esse atq; explicata. Quam enim est alia forma huius expositionis: Herculem in ea loca Geryone interemto boues mira specie abegisse memorant, ac prope Tyberim fluuium, qua præ se armentum agens nando traiecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo læto reficeret boues, & ipsum fessum uia procubuisse. Ibi cum eum cibo uinoq; grauatum sopor oppressisset, pastor accola eius loci nomine Cacus, ferox uiribus, captus pulcritudine boum, cum auertere eam prædam uellet, quia, si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa uestigia quærentem dominum eo deductura erant, auersos boues eximium quenq; pulcritudine, caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram excitus, cum gregem perlustrasset oculis, & partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si forte eo uestigia ferrent, quæ ubi omnia foras uersa uidit, nec in partem aliam ferre, confusus atq; incertus animi, ex loco infesto agere porro armentum occepit. Inde

cum actæ boues quædam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, reddita inclusarum in spelunca boum uox Herculem conuertit. Quem cum uadentem ad speluncam Cacus ui prohibere conatus esset, ictus clauа, fidem pastorum nequicquam inuocans, morte occubuit, &c.

Omnia uerisimiliter, sic satis quidem, exposita sunt, & historiæ tamen forma abest accuratæ cuiusdam & sedulæ commemorationis, quæ in sequenti expositione elucet. Missus Hannibal in Hispaniam, primo statim aduentu omnem exercitum in se conuertit. Amilcarem uiuentem redditum sibi ueteres milites credere. Eundem uigorem in uultu, uimq; in oculis, habitum oris liniamentaq; intueri, deinde breuiter effecit, ut pater in se minimum momentum ad fauorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diuersissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit. Itaq; haud facile discerneres, utrum imperatori, an exercitui carior esset. Neq; milites alio duce plus confidere, aut audere: plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilij inter ipsa pericula erat, &c.

Item hæc narratio Isocratea: Cum enim Ceres in nostram regionem uenisset, post filiæ raptum errabunda, & beneficijs maiorum nostrorum, quæ profanos audire nefas, delenita conciliataq; esset, geminum bonum donauit illis, utrunq; maximum: fruges, quarum usu feritas uitæ exuta est: & initia sacrorum,

rum, quorum participes cum de uitæ exitu, tum uniuerso huius tempore & perpetuitate quadam meliorem spem habere solent. In his ciuitas nostra ita pie, itaq; humaniter se gessit, ut cum tanta bona in sua essent potestate, non ea alijs inuiderit, sed quæ accepisset, cum uniuersis communicarit.

Hæc igitur, inquam, nonne eiusmodi est, ut non tam sua ueritate, quam credulitate uulgi stare uideatur? At hæc, quamuis fortasse fabulosa de Theseo, quanto grauius & maiore cum dignitate exposita uidentur esse? Confirmato undiq; regno Theseus maximo, in quo sic se gesserat, ut eximiam laudem consecutus esset & bellica in re & ciuitatis constitutione, hæc omnia despexit, præposuitq; gloriam laborum & certaminum, quam nullis unquã temporibus obliuio deletura esset, præsenti ocio & felicitati regni. Itaq; non iam senex, quasiq; satiatus præsentibus bonis, sed integris adhuc, ut accepimus, uiribus, ciuitatem administrandam multitudini commisit, ipse uero periculis suis & hanc & reliquos Græcos tuebatur.

DE CLADE ACCEPTA in Pannonia ad Mogacium, & Ludouici regis interitu.

Multis magnisque rebus gestis, & elatus prosperitatibus Turcarum rex Solimanus, bellum intulit Pannoniæ, potiente regno illo Ludouico filio Ladislai,

dislai, cum quo nupta fuit Maria Imperatoris Maximiliani neptis. Huic puero conciliante matrimonium Maximiliano desponsa illa, adhuc & ipsa parua uirguncula fuerat, cum Viennæ ad Danubium Imperator & Pannoniæ ac Sarmatiæ reges congressi fuissent. Sed Ludouicum editum in lucem accepimus, nullam partem corporis cute integente, quæ tamen unctionum medicamentis postea producta fuit. Voluerat Ladislaus pater nomen filio indere Iulij: sed mater obtinuit, ut suæ gentis (erat enim Gallica) nomine potius appellaretur. Hæc animaduertentib. quibusdã omen futurorũ uidebãtur. Nam et nudum pelle corpus, nudationem: & omissum nomen fundatoris maximi imperij, diminutionem regni portẽdere credebant. Agebatur iam annus post salutiferum Christi partum M. D. XXVI. & conuentum procerum Germaniæ Spiræ habebat fratris Caroli Imperatoris loco Dux Ferdinandus. At infelix Pannoniæ rex, implorare auxilium atq; opem Christianitatis, crebrosq; Spiram legatos mittere, qui & expeditionem Turcarum metuendam ac terribilem, & quam ipse ab omnibus rebus ad bellum cum parandum tum gerendum necessarijs esset imparatus, conuentui demonstrarent, & ab illis peterent, ut sibi subuenire, et regnum suum Christiano nomini conseruare uellent: neu committerent, ut per suam oppressionem aditus ad ipsos Tyranno crudelissimo & infestissimo hosti aperiretur. Satis iam illum, ac nimis longe, cum miseranda pernicie

nicie & ingenti calamitate populi Christiani pro-
greſſum. Nec ſe tantum petere, ſed quærere uiam per
regnum ſuum, qua libere inuehi in Christianitatem,
& pro arbitrio graſſari poßit. Ferdinandi autem mi-
ſericordiam & fidem, ut decuit, in primis implorare,
cuius ſecum ſoror nupta eſſet: obſecrare, illam ut tue-
ri, ſi negligendus ipſe uideretur, non omitteret. His
& ſimilibus ad conuentum allatis, credere quidam,
& terreri animis, & cenſere quamprimum copias
comparandas, quæ in Pannoniam mitterentur. Qui-
dam negocium eſſe magnum dicere, & deliberandum
diutius. Non etiam nulli totam rem eludere, & ua-
num metum affirmare fingi a Pannonibus, qui cum
ſcirent neminem facile e Germania ad ſeſe uſq; per-
ductum iri, pecunias auferri poſſe confiderent. Erant
etiam plærorumq; inter ſe dubij animi & incerti, ne-
que quiſquam fere alteri admodum fidebat. Itaq; hoc
modo actum eſt, ut legatio decerneretur ad inſpicien-
dum res Pannonicas. Sed Turca interea omnibus ui-
ribus inſtare bello, & urgere expeditionem, accer-
ſereq; cum Epiroticas & Græcas, tum Aſiaticas co-
pias, quarum illis Abraimum, his Becranum ducem
præfecit. Cumq; Taururum, Albam Græcam nunc
uocant, uenißet, præmißit Balibeio duce equites, qui
quam longe lateq; poſſent, excurrendo hoſtium agros
popularentur. Rex tum Budæ erat, & uel deſeren-
dum regnum, uel armis tuendum uidebat. Itaq; quas
potuit copias coegit, ſed & Boemi & Germani ali-

quot, Pontificis Romani (ut ferebatur) pecunia conducti aduenere. Verum omnium numerus XXIIII. millia exceßiße negatur. Duces forteſq; uiri in illis fuere plurimi, ut hæc clades multo maior quam in ſpecie appareat, acceptam eſſe, qui conſiderare uolet, facile ſit intellecturus. Erant ex Pannonicis cum rege inter alios duces, & Gregorius Zepuſius, frater Ioannis præſidis eius regionis, quam olim Iazygas incoluiſſe perhibent, nunc Septemcaſtrenſis nominatur: qui ipſe cum magna & ualida manu indies expectabatur. Et præſides multi, interq; illos unus præcipua audacia P. Tomoreus Colocenſis familiæ Franciſcanæ, homo imperitus & temerarius, ſed & manu promtus, & animo præfidente. Is, quia ſemel atq; iterum inconſulte euagatas turmas pauculas prædonum uicinorum retuderat, & quia ſtrenuum olim egerat militem, ducis etiam opinionem conceperat. Cui laudi inhians, regem impellere, atq; propemodum cogere, ut hoſti obuiam iret. Ergo infelix rex ætate pene adhuc puer, deſtitutus & prudentum uirorum conſilijs, & fortium atq; bellatorum copijs, etiam ut aliqui tradidere, & multa ſuſpicari permittunt, circundatus fraude & inſidijs ſuorum, Buda egreditur ut hoſti occurrat, alacris & exultans, neq; formidinis aut timiditatis ullam dans ſignificationem, relicta Maria uxore ad Breſpurgum. Et ad Mogacium, quod intra Budam & Taururum ſitum eſt, caſtra poſuit. Balibeius, quem cum equitibus

ad ua-

ad uastandam Pannoniam præmissum supra diximus, omißis agris, exercitum Regium obseruare & carpere, & a pabulatione atq; aquatione prohibere, diuisisq; suis equitibus quos habebat secum ad M. XX. in partes quatuor, ita infestis excursionibus premebat regios, ut cum una pars de diei quadrante fessa reciperet se, altera mox succederet, atq; huic deinde tertia, & isti postremo quarta, totus dies perpetua insectatione & uexatione hostium consumeretur. Exercitus Regius sese intra castra obiectis carris atq; plaustris continere primum: deinde cum usque adeo in angustum redigeretur, ut iam ad fluuium nemo auderet accedere, cogerenturq; intra castra puteis effoßis aquam quærere, placuit Pannonibus, autore Tomoreo & Gregorio Zepusio, fortunã prælij experiri, minime probantib. ac potius uehementisime dissuadentibus Germanis & Boemis ducibus, qui censerent Ioannem Zepusium saltem operiendum, is enim aduentare iam nunciabatur. Conuenerant autem uniuersæ Turcicæ copiæ, ipseq; Solimanus aderat, neq; pauciores habuit, ut certo cognitum est, ducentis millibus bellatorum. Sed urgentib. suis, Rex hoc modo dixisse fertur, se non esse timidum, neq; ignauißimum futurum, cupere ut quisq; uir fortis esse uelit, se suæ uitæ ac sanguini non decreuisse parcere. Ita productus exercitus regius, & instructa acies fuit a Tomoreo, permistis inter se equitibus ac peditibus, quo ordines dilatarentur: id quod ad ingentem

hostium multitudinem, ne includi sui atq; cingi possent, excogitauerat. Regem ego accepi in prima acie ita fuisse collocatum, ut ante eum uix esset duobus illa densior, & ipse cum tertijs inueheretur, inq; conflictu & impetu pugnæ ad primos protrusum. Alij tradidere, separatim cum mille equitibus post aciem constitisse, quod exitus rei uidetur refellere. Bellicis machinis abundabant, ut solent, Turcæ: illisq; globis contra Regium exercitum directe immissi, sed sine detrimento: sublimius enim lati illi, hastas modo quorundam perculere. Regiæ machinæ & paucæ & futiles, non multum hostibus nocere potuerunt. Sed Turcæ tanto maiore numerosioreq; multitudine undiq; exercitum regium non solum sepsere, sed etiam implicuerunt: neq; solum repugnantes profligare, sed etiam castra iam oppugnare, ad quæ ipsa quoq; cum Regij duces respicerent, & defendere cuperent, diminuti pugnatores, & ordines distracti fuere. Itaq; celeriter fuga orta, ducib. plerisq; uiris strenuis, & qui suorum cladi superesse nollent, interfectis. Præsules multi cæsi: interq; illos Tomoreus: magis intrepidus miles, quam consultus dux, fortissime dimicans cecidit. Capti pauci. Zepusius, dum in nauem cum citato equo insilire nititur, neq; illam potest attingere, Danubij aquis, delapsus in fluuium, obruitur. Rex fuga cum in equo uasto, ipseq; grauibus armis onustus, ad non magnum amnem uenisset, uno modo comitatus, qui ante eum, ut postea narrasse fertur,

fertur, in ulteriorem ripam euaſerat, tranſiturus & ipſe præcipitato equo, in aqua & limo ſuffocatur. Putabatur, amnis uadum a fugientibus quaſi cauato alueo corruptum fuiſſe, ut minus iam peruium eſſet. Sunt qui tradiderint, appetentem equum ripam, retro actum ſuper regem incidiſſe, itaq; illum oppreſſum. In illo non magno quidem neque celebri amne perijſſe nobiliſſimum regem, & eximium adoleſcentem, illius uerbis, qui unus comitatus eum eſſet, creditum: & corpus exanimum non procul ab indicato ab eodem loco paulo inferius poſtea repertum, ſepulturæ mandatum eſt. Hoc prælium, quo anno diximus, IIII. Calend. Septemb. commiſſum. Solymanus autem hac uictoria metuendus & ferox, deriſa hoſtium temeritate & imprudentia, uſuſq; fortunæ proſperitate, Budam ſtatim occupat, arcemq; in deditionem præſidio accepto ſpoliat, atq; diripit. Fuerat ante illa ſtudio quodam ſingulari regis Mathiæ, & operibus, & inſtructione admirabili exculta, ſignisq; ac tabulis exornata: inprimis autem omni genere librorum diues. Nam Mathias, ut ueræ uirtutis amator, doctrinam & artes ſapientiæ incredibili fauore atque ſtudio proſecutus fuit. Hac igitur, ut dixi, direpta ac ſpoliata, quia iam hiems prope erat, re melius quam ſperare auderet geſta, in Thraciam reduxit copias Turca, & uictoriam maxima læticia celebrauit. At Maria regina tandem poſt longam diſſimulationem nunciorum, caſu mariti, quem unice

dilexerat, & a quo maximo fuerat amore comprehensa, cognito, lamentis & uociferatione omnia loca complere, neq; de se aut regno solicitari, sed solius mariti interitum ante oculos habere, illum deplorare, illum requirere, sine illo recusare uiuere, &c.

DE PVGNA RVDOLFI & Henrici Imperatoris.

Magna erat Saxonum superbia, & fortasse memoria aliqua iniuriarum animos illorum aduersus Imperatorem exasperabat. Cumq; illum pontifici Romano inuisum esse cernerent, conuenere principes pleriq; illorum, & contra Henricum crearunt Imperatorem Rudolfum, propinquum Henrici, & qui illi ante subiectus fuisset, unum de proceribus terræ Suæuicæ. Hic inauspicato ad imperium euectus, cum comitijs illis principum, quæ Goselariæ habebantur, in templo discordiæ ortæ & prælium factum esset, in quo & Palatinus Renensis, & Buceo præsul, & multi nobiles gentis Saxonicæ, Suæuicæ, Francicæ, ac Bauaricæ, cæsi fuere, riuiq; sanguinis profluxere de templo. De his igitur initijs Rudolfus contra Henricum profectus Imperator, cum alia quæ gesserat, quæq; constituerat ille, mutare & euertere, tum præsules nouos in ciuitatibus præficere. Quarum rerum indignitate & insita animi uirtute commotus atq; excitatus Henricus, exercitum con-

tra

tra Rudolfum duxit: cumq; illo congreſſus in Saxonia magno certamine, multis hoſtium milibus cæſis, ſed non pauciorib. ſuorum amiſſis, incerta victoria receſſit. Eum Rudolfus, Saxonum pertinaciæ & iræ obſequens, ſecutus, prælium inſtaurat. Henricus cohortatus ſuos, animo præſente & forti in hoſtes ducit: pugnaq; uehemente & cruenta Saxones fudit, & in fugam uertit. In qua Magedeburgenſis ciuitatis præfectus Menfridus cecidit, & Rudolfus haſtam amiſit, fuitq; illa pugna in hieme, cuius eſſet gelu horribile. Poſtea uerno tempore anni ſequentis (non enim cedere uolebant Henrico Saxones) reparatis uiribus & copijs auctis ad Picaſtrum fluuium, non procul a Marespyrgo caſtra locant. Henricus imperator & ipſe contra ſe parat, copiaſq; nec numero neq; inſtructione ac firmitate inferiores, cogit, & aduerſus Rudolfum proficiſcitur. Statim ubi alteri in conſpectu habuere alteros, prælium paratum, atq; mox initum fuit. Tanta feruebant mutui odij ui utriq;. Dimicatum fuit diu, utriuſque exercitus ſumma contentione. Henricus ſuos hortari, partas ante uictorias ut tueri, & hac augere ſtuderent. Poliiceri etiam finem laborum, ſi uno illo ſtrenue eſſent defuncti. Non ſupereſſe alias uires Saxonibus. Vniuerſas illos ad hoc extremum diſcrimen contraxiſſe copias, quibus fuſis & deletis, ſine controuerſia ulla ſe rerum eſſe potituros, & uictum ſubactumq; aduerſarios iri. Meminiſſent ſibi eos reſiſtere adhuc,

huc, quos toties strauissent. Ipse etiam non solum loqui, sed & facere fortiter, ac in primis uersari: neq; Imperatoris modo, uerum militis quoq; obire munus. At Saxones, quibus interire & mori esset certius atq; destinatius, quam pati ut sua uoluntate sub Henrici unquam ditionem peruenirent, militibus multa polliceri, & promißis ad pugnandum incitare. Spargere etiam in Henricum conuicia, eumq; esse dicere, qui cum cœlo & terra belligeraretur. Hunc tanquam dementem exagitari ad crudeles dominationes, & iniustas cædes: nihil cuiquam domi foris ue tutum inuiolatum ue futurum esse, si Henricus ipsos oppreßisset. Itaq; se, uxores, liberos, facultates, si principum salute ac dignitate minus tangerentur animi, defendere ac propugnare debere. Quare incensis omnium animis, & apparatu tum atque opibus, & odio ac indignatione, & concitatione atq; impetu summo pugnatum esse accepimus. Neq; inclinatam uictoriam, cum utring; caderent plurimi, nec loco alteram utram aciem motam, donec Rudolfo pugnanti fortiter, dextera amputata fuit. Hic iam Saxones debilitari primum animis, mox pedem referre, postremo in fugam effuse ruere. Itaq; uictoriam præclaram Henricus obtinuit. Rudolfus uiuus adhuc Martespyrgum defertur, ibi cum grauißimo uulneris cruciatu, & maximis doloribus animi conflictatus, nihil requirere quam manum. Eam inueniri afferriq; sibi iubere. Allata igitur de strage cæsorum manu,

manu, uel ipsius uel alterius cuiuspiam, ut desiderio eius satisfieret, hoc modo eum ad circunstãtes dixisse, En manus, qua fides data est Imperatori meo: & cũ se auertisset, statim efflauisse animam fertur. Sepultus fuit Martes pyrgi, monumento excitato præclari operis, cum elogio uersuum leuium quidem illorum, sed testantium summum studium & amorem atq; cupiditatem erga eum Saxonum.

DE ORATORVM Narrationibus.

HOc opus quoq;, si tota res spectetur, eximium ac grande, ut arcis, non minus tamen in ludo puerili, quasi de fabulo extruendum, nosq; ita, ut in historica narratione fecimus, ueluti τεμμάχια quædam, ut aiunt Græci, proponemus, & huius etiam speciem ueluti per nebulam demonstrabimus pueris. In hoc igitur narrationis genere, omnia simplicia & inaffectata sunto: & in summa diligentia, exquisitione, labore, arte, uideantur neglecta, uulgaria, inelaborata, rudia. Ideoq; & uerba erunt usitata atq; nota, sed significantia & propria, figuræ itidem orationis communes, compositio paulo dissolutior, ut tota elocutio facilis planaq;, & ab ipsis rebus subiecta esse uideatur, idq; est quod in Oratore dicitur, Narrationes credibiles, nec historico, sed prope cotidiano sermone explicatæ dilucide. Exempla sunt apud Cicero-

Ciceronem præclara omnia, sed alia alijs insigniora: itemq; præcepta, quæ suo tempore & loco cognoſci in ſtudijs bonarum artium diligentiſſime debent. Subiungamus igitur exempla, de quibus animaduerti notariq; hoc genus poſſit.

EX LIBRO PRIMO Epiſtolarum.

Hoc ſenatuſconſulto in meam ſententiam facto, Pompeius cum nihil mihi oſtendiſſet ſe eſſe offenſum, in Sardiniam & in Africam profectus eſt, eoq; itinere Lucam ad Cæſarem uenit, ibi multa de mea ſententia queſtus eſt Cæſar, quippe qui etiam Rauennæ Craſſum ante uidiſſet, ab eoq; in me eſſet incenſus. Sane Pompeium moleſte id ferre conſtabat, quod cum audiſſem ex alijs, maxime ex meo fratre cognoui: Quem cum in Sardinia paucis poſt diebus, quam Luca diſceſſerat, conueniſſet, teipſum (inquit) cupio, nihil opportunius potuit accidere, niſi cum M. fratre diligenter egeris, dependendum tibi eſt, quod mihi pro illo ſpoſpondiſti. Quid multa? queſtus eſt grauiter, ſua merita commemorauit, quid egiſſet ſæpiſſime de actis Cæſaris cum ipſo meo fratre, quidq; is ſibi de me recepiſſet, in memoriam redegit, ſeq; quæ de mea ſalute egiſſet uoluntate Cæſaris egiſſe, ipſum meum fratrem teſtatus eſt: cuius cauſſam dignitatemq; mihi ut commendaret, rogauit

ut eam

ut eam non oppugnarem, si nollem, aut non posſem tueri, & cætera.

EX LIBRO V. METELLO.

Quem ego cum comperiſſem, omnem ſui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atq;, &c.

Hæc narratio eſt uehementior. & ubiq; quaſi fulta uerborum ſententiarumq; adminiculis, ut non narrare, ſed argumentari quoq; interdum Cicero uideatur.

Cauebitur autem in primis, ne euagetur in his oratio, ne ue alienarum rerum mentiones admiſceat, ac inculcet. Atq; hoc ſignificatur ſcilicet præcepto breuitatis, nã neceſſaria nulla omittenda, etiamſi longißima expoſitio futura ſit. Itaq; & hæc præclara in Cæciniana: M. Fulcinius fuit, Recuperatores, e municipio. Tarquinenſi, qui & domi ſuæ cũ primis, &c.

Similitudo quidem ueri tanta eſſe debet, ut ueritas ipſa uideatur, neq; relinquatur dubitationi locus. At perſpicuitas, quamuis omni in oratione & ſermone, niſi forte de induſtria aliqua obſcurentur, cuſtodiri debeat, tamen narrationi tanquam peculiaris tribuitur. Nam tota res atq; cauſſa huic ueluti fundamento inſiſtit, & huius tenebræ omnia quæ dicuntur occæcant. Nam hoc etiam monere ac præcipere, ne quid narretur quod cauſſæ noceat, ac quaſi uulnera quædam infligat, ſuperuacaneum, nemini enim non uenit hoc in mentem, & ad ſui defenſionem

& ad-

& aduersarij accusationem caussam narrari oportere, neq; nos etiam nunc præcepta teximus. Egregia, ac ea longior quidem, ita scilicet re postulante, narratio, & in primis elegans, omninoq; admirabilis est in Cluentiana, de corrupto Staleno, & perfidia illius, cui etiam, quia interponitur in caussæ multiplicis illius parte, præfatiuncula præponitur. Vos quæso, ut adhuc me attente audiuistis, item quæ reliqua sunt audiatis. Profecto nihil a me dicetur, quod non dignum hoc conuentu & silentio, dignum uestris studijs atq; auribus esse uideatur. Nam ut primum Oppianicus, ex eo, &c.

Narratio elegans & diserta est Isocratis in Paragraphico, id est, ubi exceptio opponitur Callimacho, quam interpretati sumus Latina oratione hoc modo. Erant illo tempore in magistratu decemuiri, qui sublatis triginta illis creati fuerant. Ego autem cum familiariter uterer Patrocle, qui tum magistratum regium gerebat, forte cum illo ibam. At hic cum esset inimicus Callimachi, accusatoris hoc tempore mei, factum sibi eum obuiam cum argentum ferret, prehendit, ut ablaturus illud: quod diceret, apud ipsum ab amico relictum, ideoq; in publicum redigi debere, nam illum esse factionis Piræensis. Non confitente autem hoc isto, & rixa orta, accurrere cum alij multi, tum forte & Oenon unus de decemuiris accessit. Ad hunc igitur statim Patrocles pecuniæ indicium detulit, hic uero ambos ad collegas abduxit. Decemuiri

ea de

ea de re ad consilium retulere, ibiq; iudicatum fuit, pecuniam eam publicam esse. Postea restitutis exulibus Piræensibus, accusare hic primum Patroclem, & litem illi mouere tanquam autori calamitatis suæ, mox composita re cum ab eo accepisset quatuor millia numum, calumnias comparabat Lysimacho: a quo & ipso acceptis octingentis numis, mihi tandem negocium faceßit. Ac primum hoc me nomine accusabat, quod diceret, me cum illis facere. Sed eo tandem impudentiæ euasit, ut omnium quæ accidissent culpam in me conferret, quod & nunc fortasse facere non uerebitur.

Item alia in Amartyro, id est, ubi pecuniæ depositum sine testibus petitur. Nicias hic, creatis triginta uiris, cum inimici nomen ipsius de participibus ciuitatis eximerent, & inter eos qui cum Lysandro recensebantur, referrent, quod illis quæ agebantur terreretur, patrimonium opposuit suum pignori, & seruitia extra regionem ablegauit, supellectilem uero detulit ad me, & talenta tria commisit seruanda Euthynoo. Ipse uero in agrum se contulit, ibiq; uitam duxit. Non longo tempore post, cum nauigare decreuisset, repetit argentum. Ibi Euthynous duo quidem reddit ei talenta, de tertio autem inficias it. Nicias quid illo tempore facere posset, non habebat. Ad necessarios tamen deuenit, & apud eos hunc accusans querebatur, narrabatq; quid sibi accidisset, cum tamen eum tanti faceret, & præsentem statum reipub. usq; adeo

reformidaret, ut multo citius modico amisso tacitu-
rus, quam si nihil perdidisset, hunc accusaturus fuerit.
Ac res quidem gesta ad hunc se modum habet. Omnia
sunt commemorata simplicissime, & minime (ut ui-
dentur) accurate, cum tamen sine magna cura &
studio singulari, & ingenio etiam præstante, tanta
orationis cum elegantia & puritas, tum lux & per-
spicuitas non potuerit existere, quæ in Græcis magis
multo, ut necesse est, quam cuiuscunq;, nedum nostra
conuersione, apparent atq; emicant. Non autem esset
difficile mihi, & nostra his alia, ac pluscula quidem
exempla subiungere, sed neq; non satis intellectum de
ijs quæ adduximus, formam huius narrationum gene-
ris: neq; cum tam apta & præclara de uetustate
suppeterent, cur nostra inculcare etiam uellemus,
causam esse putauimus. Quis enim non potuit ani-
maduertere, qui quidem attendere uoluit, harum nar-
rationum primum argumenta esse quædam seria,
quamuis interdum res paruas & exiles complectan-
tur? Sua enim cuiq; negocia & ipsi magna uidentur,
& alijs uideri illa itidem quisq; cupit, exponi autem
diserte & plane, ut facile intelligantur: sed & caute
ac prudenter, quippe quæ, ut ita dicam, articulate
probanda sint. Sed de his suo tempore omnia audie-
tis, & non difficulter cognoscetis, si ab his initijs ad
maiora progredi studueritis. De breuitate uero ha-
rum narrationum, quicquid forte nunc uobis dica-
tur, non est quod curare aut laborare uelitis. Neq;

pueri

pueri unquam non magis ad copiam orationis, quam breuitatem assuefaciendi sunt. Cum autem intelligentia confirmata, & doctrinæ quoddam robur fuerit, si qua maxime abundauerint, facile illa ueluti recidentur castigando. Ad deficientia autem & diminuta addere, & ea explere, difficile est. Vt medici quoq; aiunt, de corporib. minore periculo & negocio superflua detrahi, quam deficientia apponi solere. Et est omnino tam de copia quam breuitate exquisito iudicio opus. Neq; enim breuitas, ut Cicero ait, in tota eloquentia laudem habet: & ita est, ut Philemon scripsisse perhibetur,

Qui dicit ea quibus est nihil dictis opus,
Longum facit, si syllabas dicat duas.
Sed elegans sermo, grauisq; oratio,
Breuis uidetur, illa quamuis tempore
Habeatur in multo, inq; magna copia.
Atq; hoc de Homero intelligi facile potest.
Nam multa scripsit millia ille uersuum,
Neq; uisus ulli Homerus est longus tamen.

Quare hoc totum profectibus et incrementis eruditionis reseruabitur, neq; temere puerilib. institutionibus admiscebitur. Sed nunc ad alia transeamus.

DE EXPOSITIONIbus & descriptionibus.

HVc referentur & illæ quæ a Græcis nominantur ἐκφράσεις. Sunt autem quædam narratio-

rationum quasi picturæ. In quo genere Græci facile excelluere, & posteriores etiam quidam inepti fuere. Sed quia magna copia orationis & uarietas quasi colorum ad illustres expositiones descriptionesq; requiritur, cum his abundet Græca lingua, tractare hæc splendide & magnifice illi potuerunt. Sunt autem ea quæ describi, & quasi effingi solent oratione, & personæ & res.

Personis subijciuntur dij atq; homines, & ea quæ εἰδωλοποιΐαν, ut Fama & Alecto Maronis, & Discordia Homerica. Therstites, & Pseudolus Plauti.

Ruffius quidam uentriosus, crassis suris, subniger,
Magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admo-
Magnis pedibus ---- (dum

Itemq; bruta & bestiæ, atq; animantes aliæ. Item sidera, &c. Rebus subsunt negocia & actiones, Vt, singulare certamen Torquati ac Valerij Coruini & Galli apud Liuium libro VII. Valde est autem Torquati certaminis insignis descriptio. Item Actiaca pugna naualis in VIII. Aeneid. quamuis illa cælaturæ sit relatio. Est insigne exemplum & rixæ Grammaticorum apud Pontanum, cur enim quamuis recentioris, doctissimi tamen & sapientissimi uiri scripta non citemus? Huc pertinent supplicia, medicinæ, exornationes, &c. Item tempora, lociq;. Tempora, ut anni, mensis, diei, aut partis huius, aut noctis.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Sol

Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci, &c.
Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, &c. Lib. 4.
Sol medium cœli conscenderat aureus axem.

Visum autem, exempla breuia adducere, quæ potius uideantur notationes, quam descriptiones. Sed intelligi tamen de his poterit, id de quo agitur. Ouidiana sunt uerbosiora, & ambitiosa magis, cuiusmodi uolunt esse descriptiones: ideoq; & Græci περιγραματικοὺς λόγους uocant, qui quasi per partes & singilatim narrationem exequantur. Apud Sophoclem etiam copiose oriens dies describitur, uersibus huius sententiæ:

Nam splendidum nobis iubar solis ciet
Sonos frequentis matutinos alitis,
Et nigra iam nox astra fugiens abstulit.

Descriptio bella desinentis hiemis, apud Maronem:

Hoc geritur Zephyris primum impellentib. undas
Ante nouis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo.

Item temporum sunt, uer, æstas, hiems, autumnus. Itemq; serenitas, aut tempestas. Item ortus, occasusq; siderum, deniq; & pax, fames, pestis.

---Cum uere rubenti
Candida uenit auis, longis inuisa colubris.
Prima uel autumni sub frigora, cum rapidus sol
Nondũ hiemen contingit equis, iam præterit æstas.

Et reliqua: notus enim elegantissimus locus Georg. 2.

In primo de Diuinatione, ex Pacuuio:

Interea prope iam occidente sole inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisq; & nimbum occæcat nigror.

Sed nihil præclarius fieri Maroniana tempestatis descriptione potuisset. Illa igitur una pro exemplis plurimis satis esse poterit. Notus autē locus Aeneid. 1.

Hæc ubi dicta, cauum, &c. Locorum sunt itinera & περιηγήσεις, horum, castella, urbes, arces, portus, syluæ, prata, horti, montes, fluuij, fōntes, ædificia, & cætera.

Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit obiectu laterum, &c. Sunt enim noti uersus.
Est curuo anfractu uallis accommoda fraudi,
Armorumq; dolis, quam densis frondibus atrum
Vrget utrinq; latus, tenuis qua semita ducit,
Angustæq; ferunt fauces, aditusq; maligni.
Limen erat, cæcæq; fores, & peruius usus
Tectorum inter se Priami, postesq; relicti
A tergo, &c.
---Iamq; uolans apicem & latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui uertice fulcit,
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & uento pulsatur, & imbri, &c.

Elegans autem hæc descriptio, qua montem in uirilem speciem εἰδωλοποιεῖ poëta,

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,

Ant-

An ſancti ualles, denſis hunc frondibus atrum
Vrget utrinq; latus nemoris, medioq; fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto uortice torrens.
Atq; hic Aeneas ingentem ex æquore lucum
Proſpicit, hunc inter fluuio Tiberinus amœno
Vorticibus rapidis & multa flauus arena
In mare prorumpit: uariæ circumq;, ſupraq;
Aſuetæ ripis uolucres, & fluminis alueo,
Aethera mulcebant cantu, lucoq; uolabant.
Regia ſolis erat ſublimibus alta columnis,
Clara micante auro, flammaſq; imitante pyropo:
Cuius ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
Argenti biſores radiabant limine ualuæ,
Materiam ſuperabat opus, &c. Ad res pertinet & deſcriptio nauium, ueſtimentorum, armorum, & inſtrumentorũ artium, &c. Hanc Græci διασκευὴν uocarũt, ἤγουν κατὰ λεπτὸν ἀφήγησιν, id eſt ſubtilem enarrationem, ut arcus Pandarei. Iliad. δ. & armorum Paridis. Iliad. γ. Item arborum, ſtirpium, herbarum, radicum, florum. Item clades belli, incendiorũ, peſtilentiæ, famis, &c. Et contra, pacis commoda, ſanitatis, & copiæ bona, feſtiuitatum & conuiuiorum hilaritas, ſacrificia, & ſimilia. Longæ & luculentæ ἐκφράσεις ſunt, clipei Achillis apud Homerũ Iliad. ζ. & Herculis apud Heſiodũ: & apud Apollonium Iaſonis tunica, in qua multas & præclaras hiſtorias intextas atq; incluſas eſſe cernimus, ſed hæc fortaſſe quaſi argumenta ſunt grandiora, quã ut inter initia proponenda eſſe uideantur.

Breuis descriptio, uel potius effigies nauium appulsarum ad terram, & perelegans, Aeneid. 3.

Ancora de prora iacitur, stant littore puppes.

Longior autem descriptio pestilentiæ, in III. Georgic. Itemq; apud Lucretium, libro VI. Arboris descriptio, Georg. 2.

Ipsa ingens arbor, faciemq; simillima lauro,
Et si non alium late iactaret odorem,
Laurus erat, &c.

Elegantes autem & bellæ sunt expositiones eruditorum hominum, quibus picturam aliquam aut statuam, aut imaginem quamcunq; quasi contemplandam exhibent, & oculis ipsis offerunt. Vt Aeneid. 1. libro, pictura templi Carthaginensis, & clipeorum, quas supra diximus, cœlatorum opera. Item tropæum in X. In Verrina VI. signum Dianæ. Erat admodum amplum & excelsum signum cum stola. Verumtamen inerat in illa magnitudine ætas atq; habitus uirginalis, & sagittæ pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat. De eadem oratione cum alia poterunt assumi exempla, tum uero & illud insigne ualuarum templi Syracusani.

Græci Rhetores, quos Sophistas dixere, in hac parte fuere mirifici. Extant imagines Philostrati, & simulacra Callistrati. Et in Luciano, huiusmodi passim: ut Rhoxanes, & Alexandri nuptiæ, depictæ ab Aetione. Et Zeuxidis Hippocentaurus fœmina, & domus

domus. In Pausaniæ quoq; præsertim Heliacis uarias ἐκφράσεις reperias. In quibus est hæc bella, noctis, nutricis somni, & læti. Est & in Bœoticis mentio fortunæ, tenentis opulentiam manu: & pacis item opulentiam præferentis. Huiusmodi epigrammatum maxime Græcorum uersibus multa sunt comprehensa, ut exempli gratia, καιροῦ, & μισθίας. Et μετανοίας, & Latina Ausonij: quæ qui uolet, requirere & cognoscere, poterit. Neq; me fugit has proprie ἐκφράσεις dici, quæ sint expositiones quædam operum qualiumcunq; insignes, illustratæ quibusdam ueluti coloribus uerborum & orationis. Descriptiones autem factorum, aut rerum gestarum, aut euentuum, appellari a Rhetoribus ὑποτυπώσεις & διατυπώσεις, quasi efficta expressaue dicamus. Itemq; τοπογραφίας & χρονογραφίας uocari, locorum temporumq; descriptiones. Itemq; εἰκόνας, ueluti imagines quasdam, & effigies. Sed mihi libuit hæc omnia ἐκφράσεων & descriptionum appellatione atq; capite comprehendere. Quarum ipsarum exempla & de historicis scriptis innumera suppetere, & de omnibus propemodum comparationibus poëticis assumi poterunt: ut me in his commorari diutius nihil necesse sit. Etsi cum hoc modo propositum nobis sit, ut exemplorum quadam copia & uarietate instruamus studia uestra, & ostendamus quid in cupiditate eruditionis sequi possitis, ea etiam pluscula congeremus, & nostra quoq; nonnulla adiunge-

mus. Sunt autem & expositiones ἐκφραστικαὶ elegantes, portentorum atq; monstrorum itemq; uisorum, quæ φαντάσματα & φάσματα dicuntur, siue illa uigilantes siue dormientes uidere uideantur. Plinius Epistolarum libro VII. Mox apparebat εἴδωλον, senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat, quatiebatq;, &c. Et Maro,

In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosq; effundere fletus,
Raptatus bigis ut quondam, aterq; cruento
Puluere, perq; pedes traiectus lora tumentes.
Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuuias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes,
Squalentem barbam, & concretos sanguine crines,
Vulneraq; illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios.

Ecce leuis summo de uertice uisus Iuli
Fundere lumen apex, tractuq; innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Item,

Vix positum castris simulacrum, arsere coruscis
Luminibus flammæ arrectis salsusq; per artus
Sudor ijt, terq; ipsa solo, mirabile dictu,
Emicuit, parmamq; ferens, hastamq; trementem.

Huiusmodi in historicis scriptis passim occurrunt: nos unum eximium commemoremus. Cæsar Comment.

ment. belli Ciuilis lib. 3. Item constabat Elide in templo Mineruæ, repetitis atq; enumeratis diebus, quo die prælium secundum fecisset Cæsar, simulacrum Victoriæ, quod ante ipsam Mineruam collocatum erat, & ad simulacrum Mineruæ spectabat, ad ualuas se templi limenq; conuertisse. Eodemq; die Antiochiæ in Syria bis tantus exercitus clamor & signorum sonus exauditus est, ut in muris armata ciuitas discurreret. Hoc idem Ptolemaide accidit. Pergami in occultis ac remotis templis, quo præter sacerdotes adire fas non est, quæ Græci adyta appellant, tympana sonuerunt. Item Trallibus in templo Victoriæ, ubi Cæsari statuam consecrauerant, palma per eos dies in tecto inter coagmenta lapidum ex pauimento extitisse ostendebatur. Temporis descriptio elegans Iliad. λ'.

ἦμος δὲ δρυτόμος ἀνὴρ ὠπλίσατο δόρπον
οὔρεος ἐν βήσσῃσιν, ἐπεὶ τ' ἐκορέσατο χεῖρας,
τάμνων δένδρεα μάκρ' ἆδος τέ μιν ἵκετο
θυμόν.
Σίτου τε γλυκεροῖο περὶ φρένας ἵμερος αἱρεῖ.

Et Theocriti hæc,

οὐδ' ὄκχ' ὀρτάλιχοι μινυροὶ ποτὶ κοῖτον ὁρῶεν,
Σεισαμένας πτερὰ ματρὸς ἐπ' αἰθαλόεντι πε-
τεύρῳ.

Et Scyllæ præclara, Aeneid. III. Somnium in Plauti milite, sed & alibi, & in Curculione hoc expositum,

Hac

Hac nocte in somnis uisus sum uiderier,
Procul sedere longe a me Aesculapium,
Neq; eum ad me adire, neq; magnipendere
Visus est.

Ouidianæ præcipuæ sunt. Famis, lib. VIII. Domus Famæ, lib. XII. Et Somni, lib. XI. Et Inuidiæ perelegans, lib. II.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle uirent, lingua est suffusa ueneno.
Risus abest, nisi quem uisi mouere dolores,
Nec fruitur somno uigilantibus excita curis,
Sed uidet ingratos, intabescitq; uidendo
Successus hominum, carpitq;, & carpitur una,
Suppliciumq; suum est.--

Apud eundum descripta tela Cupidinis, breuiter & belle, lib. 1. Metamorph.

Deq; sagittifera promsit duo tela pharetra,
Diuersorum operum, fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, auratum est, & cuspide fulget acuta:
Quod fugat, obtusum est, & habet sub arundine (plumbum.
Et currus, lib. 2.
Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.
Per iuga chrysolithi, positæq; ex ordine gemmæ,
Clara repercusso reddebant lumina Phœbo.

Item sideris Scorpij descriptio.

Est locus in geminos ubi brachia concauat arcus
Scorpius,

Scorpius, & cauda, flexisq; utrinq; lacertis
Porrigit in spacium signorum membra duorum.

Addamus huc Vergilianam Orionis, admirabilem, & eximiæ uenustatis,

--Quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medius per maxima Nerei
Stagna uiam scindens, humero supereminet undas,
Aut summis referens annosis montibus ornum,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

Sunt & hæ exempli loco non negligendæ, Ouidianæ lib. 3. syluæ descriptio.

Sylua uetus stabat, nulla uiolata securi,
Et specus in medio uirgis ac uimine densus,
Efficiens humilem lapidum compagibus arcum,
Vberibus fœcundus aquis.-

Et lib. III. fontis,

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis,
Quem neq; pastores, pastæue in monte capellæ
Contigerant, aliudue pecus, &c.

Et lacus, lib. V.

-Lacus a mœnibus altus,
Nomine Perguſa, &c.

Item textrinæ, lib. VI.

Tæla iugo iuncta est, stamen secernit arundo,
Inseritur medium radijs subtegmen acutis,
Quod digiti expediunt, atq; inter stamina ductum
Percusso feriunt inserti pectine dentes.

Tempo-

Temporis multæ: sed exempli loco, unam & alteram retulisse sat fuerit.

Dumq; quater plenis expleuit cornibus orbem
Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem.

Candidus Oceano nitidum caput abdiderat sol,
Et caput extulerat densissima sidereum nox.

Sed aliorum etiam exempla exponamus. Cæsar lib. 1. belli Gallici. Flumen Alduabis, ut circino circunductum pene totum oppidum cingit, reliquum spacium quod non est amplius pedum sescentorum, qua flumen intermittit, mons continet magna altitudine, ita ut radices eius montis ex utraq; parte ripas fluminis contingant. Hunc murus circundatus arcem efficit, & cum oppido coniungit. Item pontis opus, quo Rhenum fluuium iunxit Cæsar, copiose exposuit lib. IIII. Item nauale certamen Bruti cum Maßilienſibus lib. 1. belli Ciuilis. Sed huiusmodi quam multa quisq; uolet, de historicis scriptis poterit excerpere.

Animalium descriptiones extant paßim in scriptoribus utriusq; linguæ, & apud Plinium insignes, & in Cæsaris lib. VI. Bos unicornis, Alcæ, Vri. Nos de Pausania quasdam traduximus. Reperiuntur in Arabiæ desertis terris cum aliæ bestiæ, tum uolucres, quæ nominantur Stymphalides, nihilo minus hominibus infestæ quam leones sunt & pardi. Hæ in uenatores inuolant, & rostris feriunt atq; occidunt. Ac æreа ferreaq; tegumenta facile perforant illæ aues omnia.

omnia. Sin ueſtes denſiores de corticibus arborum contexuerint, adhæreſcunt in illis auium roſtra, non ſecus atq; pinnæ auicularum paruarum in uiſco. Sunt autem hæ magnitudine gruibus pares, ſimiles ibibus. Sed roſtra geſtant ualidiora & recta, non curua ſicut ibes.

Tritones in capite habent ueluti paluſtris ranæ comam, ſimilem & colore & capillo, cuius crines diſcernere nequeas: Reliquum corpus ſquama horret, quæ limæ aſperitatem referat. Branchias habent ſubter aures, naſum hominis: os uero amplum, & dentes ferinos, oculos, ut uidentur, glaucos. Suntq; ipſis & manus, & digiti, & ungues operculis cochliarum ſimiles. Infra pectus & uentrem cauda porrigitur pedum loco, quemadmodum delphinis.

Sepem uocant ſerpentem, parem uiperini generis minimo, colore cinericio, maculis diſtantibus uarium. Caput habet latum, collum anguſtum, uentrem grandem, caudam breuem. Hic ſerpens ingreditur ſicut & ceraſta alter nomine, non directe, ſed obliq; que, quemadmodum cancri.

Ac intelligo uenire alicui inter hæc in mentem poſſe, cum deſcriptiones omnibus quæ incidere in oratione ſoleant, congruant, quare peculiare quoddam genus harum facere uiſum fuerit. Cognoſcendum igitur hoc eſt, formam expoſitionis quandam in his eſſe ſingularem & ſpecioſam, in cura & exquiſitorum uerborum quidem in primis, ſed & ſententiarum:

rum : quibus hoc consequamur, ut non tam commemorare quam ostendere, aut saltem notare aliquid ita uideamur, ne quis illud inconsiderate transire aut non animaduertere facile possit, ut insignia quædam narrationum hæc, & colores, deniq; picturas quoq; & effigies, & quasi picturatas auri subtegmine uestes, secundum poëtam, recte appellauerimus. Vt illa apud Herodotum lib. 1. τῶν ἐκβατάνων ædificij quam luculenta expressa narratione forma? Quam multæ autem passim in utriusq; linguæ autoribus non minus admirabiles expositiones, extructionum, munitionumq;, itemq; captarum urbium, instructionum copiarum, constitutionum ciuitatum, deniq; quarumcunq; rerum quasi præsentium exquisitæ copiosæq; demonstrationes? in quas qui inciderint, non tam ἀκροαται rerum illarum, quam θεαται, ut Græci aiunt, esse uideantur. Itaq; Silenus Maronis non uerbis narrat, mutatas in arbores fuisse sorores Phaëtontis, sed re ipsa.

—Musco circundat amaræ
Corticis, atq; solo proceras erigit alnos.

Sed illæ operum picturæ & imaginum, et signorum, quorum cum alia exempla extant, tum præclara & nota Cebetis tabulæ, & calumniæ Lucianicæ, & Pausaniæ Phidiacum Iouis Olympij signum, in primis quidem in hoc exercitio tractari debebunt, sed nullius tamen modi aliæ negligentur : quo minus non solum in ueterum scriptis obseruentur, sed etiam scribendo tra-

do tractentur, & uniuscuiusque stilo ueluti subigantur. Sed nunc nostra etiam exempla, ut solemus, adijciamus.

DESCRIPTIO EBRIETATIS, bibentis e uitro.

Pausiæ pictoris tabula fertur fuisse Epidauri, in qua Ebrietas uiseretur, bibens uitro. Mulierem eam fecisse pictorem, perhibent, statura mediocri, ornatu nequaquam exquisito, comtam tamen, sed negligenter, atq; etiam alicubi peruerse. Palla uestitam ferruginea, dependente atque uolitante uelo, neq; non subter hoc turbatis crinibus, fronte magis proterua quam hilari, statu petulante, pallido ore, labellis paululum subrubentibus. Eamq;, sublatam dextra manu phialam uitream ori admouentis, & strenue haurientis, et buccas sibi leuiter inflatis speciem præbuisse: reliquisse autem tantum adhuc in poculo apparentis uini pictorem ferunt, ut & quid ac quam multum illa eduxisset, & os faciesq; potantis, ut liquido cerneretur atq; pateret.

MELANCHOLIA.

Albertus Durerus artificiosissimus pictor, cuius diuinæ manus multa immortalia opera extant, profundi atq; cogitantis animi motus, qui melancholici

singulari erga se & Germaniæ regnum uoluntate ipsius, cognituram arbitraretur, recitatæ illæ frequente senatu, omniumq; sententijs magnifica gratulationis pompa decreta fuit: quam quia petijsti ut ad te perscriberem, quomodocunq; potero deinceps expositione mea exequar. Ad diem igitur XIII. Calend. Sextil. qui erat festus, unus de solennibus septimanis ferijs, supplicia pro nati regis uita & incolumitate publice indicta & ad signa data ære, ut solet fieri, mox peracta fuere. Ibatur ad templa supplicatum studiose, in quibus omnia festum lætumq; in modum parata instructaq; erant, quæq; cantu personabant, tum illa organa Musica, quæ follibus appositis inspirantur, imparibus tibijs, quasi fistulæ in speciem coniuncta, magna suauiq; uocis uarietate distinguebant cantus. Post hæc in arcem senatus sese contulit. Ea sita est inter occidentem & septentrionem, ante quam contra ortum castellum extructum asseribus fuerat, utrinq; turribus eductis, quibus illud communiri uideretur, de turrium autem harum fastigijs explicata uisebantur uexilla, cum aquila & reliquis signis Imperatoris Caroli. Prætea omnibus in propugnaculis cum arcis tum murorum oppidi, tormentorum magnam multitudinem disponi curauerant. Tormenta ea nostratia erant, huiusmodi. Aenea canna longior breuiorue, superius paruulum habet foramen. In hanc induuntur certi ponderis pro magnitudine illius pulueres, excocti

nitro

nitro & carbonibus, superq; hos impingitur globus ferreus, & eorundem puluerum lomentum foramini cannæ inspergitur: quibus pro sua natura celerrime maximam uim ignis illati concipientibus, inq; cannam immittentibus, illa quæ intus existit de cognatis pulueribus flamma incredibili impetu globum eiaculatur, unde sonitus editur plane qualem tonitrui audimus. Est his temporib. in usu, & hilaritatis & tumultus signum, inuentum (ut arbitror) Germanorum, tale. Tabella oblonga incuruatur ita, dolij aut mulctræ formam ut habeat, ea qua patet, bubula pelle læui illa quidem obducitur, quam mox intendunt funiculis, & clauis ligneis pulsant ad numeros, & de sonitu Trumulum uocant, adhibentq; tibiam quæ transuersa inflatur. Hoc igitur tum signo dato, simulq; concinentibus tubis, instructa ciuium quasi hostilis manus oppugnandum castellum adoritur. Atq; illud ui captum, ut uidebatur, incendunt. Eo iam flagrante, & maximis clamoribus, quiq; cœlum, ut dicitur, ferirent, sublatis, tormenta, quæ supra diximus, summo studio & cura maxima parari constituiq; uidisses, & mox ijsdem, signo dato, ignem admoueri, pro se quemq; in oculis primorum niti, ut laudem fortis, atq; strenui consequeretur. Iamq; non solum de arcis turribus, sed oppidi etiam mœnibus undiq; ferrum uolitare, fragorq; ingens oriri, tremere ædificia urbana, omnia esse horrenda, hac amplius una hora lætitia exultationeq; absumta, secundum Homerum,

Occiderat Phœbus, tenebrisq; absconderat ora,
Cum iam quisq; suas diuertebatur ad ædes.

SPECVLVM STVLTAE adolescentiæ.

Etiam nunc iubes bene sperare de seculo nostro. Ego uero quid sperandum ab ijs sit non intelligo, qui omnem animi sui uim in futilissimas soleant res quasi comminuere, quas illi in studio bonarum artium progressiones facere possint, qui in hoc inanitatis & leuitatis itinere institerint? Nam ut maiora ego iam flagitia silentio præteream, quibus quasi more quodam omnes ætates, sexus, conditiones atq; ordines hominum stud ent, quibusq; propemodum cum laude opera datur, contumaciæ, uiolentiæ, petulantiæ, aleæ & ganearum turpitudinis: uestes ornatumq; aliquis mihi spectet, & bene nunc etiam speret de rebus humanis, si huius seculi quasi propago, nullo officio disciplinaq; assuefactæ, ac potius funditus perditæ ac corruptæ adolescentiæ, ad posteritatem traducta fuerit. Ridemus maiorum nostrorum gestamina, illa quas Cappas uocarunt, pannis a tergo dependentibus, & calciamenta rostrata. Ego de patre meo audiui, cum narraret nobis se uidisse in nuptiarum hilaritate more gentis saltantem in cœtu honestiß. uirum auum meum sine pallio, caligis (ut appellant) uestitum, quæ duobus tantummodo uinculis annecterentur

rentur supra femora, cum cingulo bullis grandioribus insigni, quod arctam & breuem tuniculam infra umbilicum deprimeret & contineret, ne qua pars corporis cũ deformitate aliqua nudari posset. Quam hæc nobis mira & absurda nunc uidentur? At hæc nostratia quam pulcra & bella esse putant? Alienis enim, id est, dementiæ ac stulticiæ oculis intuentur. Itaq; ut ille pictor cuidam, qui Zeuxidis Helenam sibi negaret placere, dixisse fertur: Meis oculis utere, & diuinum opus tibi uidebitur: ita illos monere liceat, sanæ mentis & rectæ rationis oculis ut ista contemplentur, tum uisum iri fœdissima. Ecce enim tibi nequaquam uirum adhuc, sed ualentulum puerum, missum aliquo ad cultũ uirtutis & doctrinæ, ad uitæ decus, ad artes humanitatis, hunc igitur quem credas? Si intueare, primum ingressu qui uestem quassando undantem facit, secundũ Plautum, cum pallio aut togula iniecta humeris, feroculum, ore proteruo & pallente ac fumoso, non de uigilijs & lucerna Musarũ, sed uini & lustrorũ, aut de intempestiuo somno: dum uno appensum lateri pugionem gestat, renidentem argenteolis laminis: alteri ensem ita longum, itaq; promissum, ut manu ad capulum applicata retinere necesse sit, ne a tergo solum uerrat. Interiores uestes autem omnes diuersicolores, sciss æ dissectæq; sunt primum, deinde reuinctæ & alligatæ ita quidem, ut oratione illa uarietatis insania exprimi nequeat. In capite imponitur pileolus rotundulus, oblique. Ipsi se gradientes

contemplantur, tum quidem potißimum, cum existimant seſe esse paulo exquisitius ornatos. Iam autem est in scholas & doctrinæ loca uentum. Aßident igitur. Deum immortalem, quam turpis consessus est, somniculosorum, oscitantum, animis absentium. Itaq; & stertere quosdam audias, quibusdam etiam cernas de manibus libellos elabi. Ipsi neq; memoriæ mandare, neq; chartis dictata. Quid dicam amplius? miseriam enim & dedecus adolescentiæ horum temporum perstringere modo uisum. Nihil præcepta ueritatis prosunt, nihil uirtutis & sapientiæ monita, et cætera.

DE CHRIIS.

CHrias uocarunt Græci, usum quendam appositum & elegantem autoritatis ueterum, in dictis ac factis, quæ cum quadam uerborum concinnitate, sæpe etiam argute exponerentur. Itaq; huc referemus ἀποφθέγματα, & ea quæ ἀπομνημονέυματα dixere, cum ita memorantur ut alicuius dictum, autore ipso nominato. Nam absq; hoc ad sententias, quæ γνῶμαι appellantur, pertinent. Item quicquid refertur ad quandam quasi personam de historia aliqua, χρειῶδες fit, quidam enim sic hoc appellarunt, ut Fabius quoq; docet, exemplo adducto: Milo, quem uitulum ferre assueuerat, taurum ferebat. Hæc quia multiplicem usum, & eum eximium quendam habent in oratione, ideo χρεῖαι fuere appellatæ. Has igitur primum

primum exquiremus, atq; pueris proponemus: nam de scriptis ueterum colligendæ sunt. Tum ante omnia iubebimus per casus numerosq; ducere, atq; uariare: quod cum Diomedes Grammaticus, tum etiam Fabius monuere. Hoc proderit non solum ad facultatem & notitiam flexionis, sed ad quandam etiam copiam orationis, qua diuersam formam accommodare ijsdem posßimus, ut docuit in agnominatione autor Rhetoricorum ad Herennium. Hoc erit primum exercitium huius generis, in quo & diu retineri, & assidue exerceri pueros maxime utile. Alterum, ut datam χρείαν usurpare, & scite inserere orationi, atq; rei propositæ tanquam gemmam includere studeant. Tertium, ut χρείαν acceptam, aut breuiorem dilatare, aut longiorem contrahere iubeantur.

Quartum, ut tentent rationibus atq; subiectionib. cum reprehensionum, tum probationum, illam augere, quod iam tamen commune etiam est aliorum generum, & in fabularum tractatu supra attigimus, & seperatim explicabimus. Sed illa quæ proposuimus, singulatim exequamur. Græcorum scripta permultas suppeditant χρείας. Sed & de Latinis excerpi plurimæ poterunt. Nos pauca, docendi caussa, exempla, de quib. ipsa res perspici posßit, afferemus, reliqua enim iam erunt uestri studij.

CHRIA PRIMA.

Cato terram cariosam neq; coli, neq; attingi oportere dixit

Catonis uetus dictum fertur, carioſam terram neq; colendam, neq; omnino attingendam eſſe.

Catoni placuit, carioſam terram non modo coli, ſed ne tangi quidem debere.

Catonem, carioſam terram coli, imo attingi quoq;, prohibuiſſe accepimus.

A Catone præcipitur, cauendum ne carioſam terram uel colamus, uel omnino attingamus.

Poterat & declinationis gratia Catonis nomen in pluralem numerum duci, ſed hoc ſententiæ noceret. Quare iam mutemus elocutionem, & dictum Catonis per multitudinis numerum uariemus, hoc modo.

Arua carioſa coli tangiq;, Cato uetuit.

Aruorum carioſorum cultum, atq; etiam contactum, Cato interdixiſſe legitur.

Aruis carioſis neq; cultum, neq; omnino manum adhiberi oportere, Cato cenſuit.

Arua carioſa ne colito, ne ue tangito, dixit Cato.

Ab aruis carioſis cultum manumq; ut abſtineamus, Cato præcepit.

Sed quia habet chria duas partes, ſæpe etiam plures, docebimus pueros noſtros non unam tantum, ſed uel plures, uel omnes uariare: ut hanc noſtram, Cato carioſam terram neq; coli neq; attingi oportere cenſuit.

Vetus eſt uerbum Catonis, terræ carioſæ cultum, atq; omnino contactum agricolis eſſe uitandum.

Catoni hoc quoq; uiſum, carioſæ terræ non modo cultum

tum omnem denegandum, sed ne manum quidem unquam admouendam esse.

Memoriæ proditum est Catonem dixisse, carioſam terram neq; coli, neq; omnino attingi rectum esse.

A Catone perhibetur dictum, omnem cultum atq; operam a carioſa terra remouendam esse.

Arua carie amara, Cato coli tangiq; uetuit.

Aruorum carie sterilium cultus, atq; plane contactus laborem omnem fugiendum, Catonis sententia est.

Aruis carioſis neq; uomerem, neq; omnino ueſtigium imprimi oportere, Catoni probatur.

Arua macilenta carie, si Catonem audire uolueris, neq; excercebis aratro, neq; manu tanges.

Ab aruis carioſis, cultu acceſſuq; abſtinendum esse, a Catone præcipitur.

Licet etiam diligentius omnia uariemus, ut, Carie exeſam, macram, caneſcentem, infœcundam, pumicoſam, fiſtuloſam, aridam terram, ſolum, agrum, humum dicamus. Item, coli, exerceri, arari, fodi, tangi, attingi, inſiſtere, pedem imponere, manum admouere, & cætera.

CHRIA SECVNDA.

Publius Scipio Africanus dicere ſolebat, ut ſcripſit Cato, quod nunquam minus ocioſus, quam cum ocioſus: nec minus ſolus, quam cum ſolus eſſet.

Publij Scipionis Africani in Catonis libris dictum extat,

extat, ocioſi tum ſibi minime nomen conuenire, cum ocioſi opinionem maxime haberet: nec ſolitudinis ſe frequentatorem eſſe minus, quam cum ſolitudinis particeps factus fuiſſet.

Publio Scipioni Africano, libri qui Catoni autori aſcribuntur, hoc dictum tribuunt, Nunquam minus ocioſo ſibi eſſe libere, quam cum ocioſus: nec minus ſolo, quam cum ſolus eſſet.

Publium Scipionem Africanum dicere ſolitum, legimus Catonem memoria prodidiſſe, Nunquam ſe minus ocioſum eſſe, quam cum ocioſus: nec minus ſolum, quam cum ſolus eſſet.

A Catone ſcriptum reperitur de Publio Scipione Africano, habuiſſe illum ſæpe in ore, Quod tum ab ocioſo longiſsime abeſſet, cum ocioſus, & a ſolo homine, cum ſolus eſſet.

Quid iam Scipiones & Catones memorem? quorum alter ſcripſit, dicere ſolitum alterum de ocio & ſolitudine hanc ſententiam: Nunquam, inquit, minus ocioſi ſumus, quam cum ocioſi: nec minus ſoli, quam cum ſoli.

Sed cauendum ne uariando chrias, orationem ad aliquam deformitatem hac præſcriptione detorqueamus: & ad exercitium hoc deligentur aptæ flexionibus, & non repugnantes huic uarietati. Græci homines diligentes, ea quæ non ſimpliciter dicti factiue alicuius uſum in oratione haberent, non χρείας

ſed

ſed χρειώδη uocarunt. In hæc iam cadunt omnes argutæ ſcitæq; ac diſertæ & doctæ mentiones alicuius hiſtoriæ aut fabulæ, deniq; perſonæ uel quæ ſit quæ ſi perſona, uſurpationes. Vt illud de Milone: Facilius enim ſcilicet taurum tuliſſe credendum illum uirum, qui puer uitulum ferre aſſueuiſſet. Tale fuerit: Gloriabatur Cyrus hortis ſuis: ipſe enim conſeuerat. Et hoc: Præclara fuerunt Phidiæ opera diuinorum ſignorum: bene enim facere humana didicerat. Itaq; in his, ut apparet, ἐνθυμηματικὴ quædam ratio inest. Vt in hoc. Pamphilus quam amicam habuerat, uxorem habuit. Item: Palmæ arboris lignum contra pondera nititur: homines pleriq; nihil quod graue ſit ferre poſſunt. Item: In qua re non eminet aliquid boni, mali ue? Aut quæ caſßita, ut Simonides fertur dixiſſe, galericulo caret? Hoc Chriodes etiam Chriam complectitur. Atq; aperit hic ſe campus latiſßime, in quem cupidiſßime excurrent ſtudia amantium eruditionis. Sed nos & hæc addamus. Chriam quidem ſententioſam eſſe, ſed aliam habere formam quam γνῶμαι habent, nam his perſona acceſßit. Itaq; detractis perſonis, pleræq; γνῶμαι fiunt. Vt Socrates monebat, Edendum ut uiueretur, non uiuendum ut ederetur. Fiet γνώμη hoc modo. Debemus edere ut uiuamus, non uiuere ut edamus. Ac λογικαὶ ſunt χρεῖαι orationis ſimplicis: Vt Craſſum dicere ſolitum accepimus, diuitem eum demum perhibendum,

qui

qui exercitum alere posset suis fructibus, secundum Ciceronem.

Hæc figurantur interdum affectu, ἀποστροφῇ, interrogatione. Vt, Discedens Roma Iugurta dixisse fertur, O urbem uenalem, & cito perituram, si emtorem inuenerit. Diogenes conspicatus puerum iaculantem saxa in multitudinem, Caue, inquit, puer, ne forte per imprudentiam ferias parentem tuum. Interrogationes sunt creberrimæ. Interrogatus Bias, An ducenda uxor esset, respondit: Eum qui duxisset formosam, metu, qui deformem, supplicio non carituram. Idem cum capta patria Prienis, solus omnium ciuium ocioſus uacuusq; urbe excederet, quærente quodam, quid de bonis ipsius factum esset? Recte, inquit, omnia illa mecum porto. Huc referendæ & argutæ atq; obliquæ responsiones, & εἰρωνείαι, denique tota materia ἀποφθεγμάτων, quemadmodum diximus, huic capiti subijcietur. In castris Pompeij aliquot aqui lis deprehensis, & quibusdam clamantibus, manifesto uictoriam augurio illo portendi: Plane, inquit Cicero, siquidem cum picis sumus dimicaturi.

Cum ad Themistoclem quidam doctus homo & eruditus accessisset, policereturq; ei se artem memoriæ traditurum, quæ hoc efficeret, omnium ut meminisset: At ego quorundam, inquit ille, obliuionem multo malim. Aristippus Laida amabat. Hoc reprehendentibus quibusdam, qui dicerent, philosopho indignum esse habere meretricem: tum Aristippus,

Habeo,

Habeo, inquit, illam ego quidem, sed hæc me non habet. Cicero aliter fecit, sed Græce melius dici scripsit, & iussit interpretari Papirium. Effertur autem Græce ita,

ἔχω μὲν λαῖδα, ἀλλ' ἔχομαι ὑπὸ λαΐδος.

Tyrannus Dionysius cum in Phiditijs cœnauisset Lacedæmoniorum, negauit se iure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is qui illa coxerat: Minime mirum, condimenta enim defuerunt. Quæ tandem inquit ille. Labor in uenatu, sudor, cursus ab Eurota, fames, sitis, his enim reb. Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Item, Dionysium ferunt aliquando dixisse Aristippo in iurgio: Quid mihi profuit familiaritas tua? respondisseq; Aristippum: Nihil scilicet illa tibi profuit, ut apparet, si quid enim profuisset, non tu tyrannus esse pergeres. In facto autem sunt χρεῖαι, ut Thrasybuli spicas eminentes lætioris segetis, seu capita papauerum, ut Liuius narrat, decutientis, & illi gestus Zenonis, cum manu contracta ut pugnus fieret, dialecticã, eademq; explicata ut palma esset, rhetoricam significaret. Item illæ Thebanæ statuæ iudicum sine manibus, principisq; illorum etiam conniuentibus oculis, quod ius neq; donis neq; gratia corrumpi debeat. Mistæ una cum facto dictum coniungunt. Diogenes interdiu cum accenso lumine obambulans, homines se quærere aiebat.

Alexander quodam in prælio uulnere accepto, cruorem ostendit assentatoribus suis, quorum sermones

mones illum Deum facere consueuerant: Atq; hic certe, inquit, cruor est, non enim,

Effluit humor, ut immortali e corpore diuum.

Sed Græca sunt elegantiora apud Plutarchum: ὁρᾶτε, ἔφη, τοῦτο μὲν αἷμα ἡδύ, καὶ οὐκ ἰχῶρ ὅιος πέρτε ῥέει μακάρεσι θεοῖσι.

De Chrijs scripsere cum alij, tum Demetrius Phalereus, teste Laertio, quem unice laudat Cicero.

Sed ad exercitia redeamus, quorum fecimus secundum, Vsurpationem, unde & nomen habent. Huius genera sunt, ut uidetur, duo, formæ plurimæ. Vnum, cum quasi testimonio harum utimur: alterum, cum hoc ueluti refellimus. Cicero pro S. Roscio Amer. L. Cassius, ille quem populus Romanus uerissimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quærere solebat, Cui bono fuisset, &c. Illud enim Cui bono fuisset, secum facere, ideoq; debere caussam obtinere, docere uult. Idem Verrina IIII. fertilitatem & utilitatem Siciliæ amplificans, Catonis testimonium usurpat. Itaq; ille M. Cato sapiens, cellam penariam reipub. nostræ, nutricem plebis Romanæ, Siciliam nominauit. Contra ueluti Antonianum exemplum obstans remouet, pro A. Cluentio: Hominem ingeniosum M. Antonium aiunt solitum esse dicere, iccirco se nullam unquam orationem scripsisse, ut si quid aliquando quod non opus esset, ab se esset dictum, posset se negare dixisse, perinde quasi quid a nobis dictum aut actum sit,

id nisi

id nisi literis mandauerimus, hominum memoria non comprehendatur. In hoc genere frequentes incidunt dissimilitudines. Cicero in Bruto: Nec enim posset idem Demosthenes dicere, quod dixisse Antimachum Clarium poëtam ferunt: qui cum conuocatis auditoribus legeret eis magnum illud, quod nouistis, uolumen suum, & cum legentem omnes præter Platonem reliquissent. Legam, inquit, nihil ominus: Plato enim mihi unus instar est omnium. Et recte: poëma enim reconditum, paucorum approbatione: oratio popularis, ad sensum uulgi debet moueri. At si eundem hunc Platonem unum auditorem haberet Demosthenes, cum esset relictus a cæteris, uerbum facere non posset.

χρειῶδες elegans apud Horatium lib. 2. Sermonum.

Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus
Illis nullus erat, sed credo hac mente, quod hospes
Tardius aduenies uiciatum commodius, quam
Integrum edax dominus consumeret.

Item Platonem quondam seruo iratum, superuenienti Xenocrati tradidisse illum aiunt uerberandum, quod se diceret iratum esse. Significatur enim, nihil recte ab iratis fieri, ὀργὴ γὰρ, secundum Xenophontem, ἀπρονόητον.

Sed adducamus etiam nos aliquid exemplorum. Mandatum est literis, atq; memoriæ proditum Socratis dictum. Qui quærenti amico, an non puderet senem fidibus discere, hoc enim ille facere solebat, re-

spondisse fertur, Discere quæ nescias bona, turpe non esse, sed quæ bona sint, ignorare. Quid autem nos aliud agimus, quam ut ad ea discenda, quorum ignoratio & turpis & nocens sit, cohortemur adolescentiam, ut Musarum salutaria studia persequantur? Quid autem consequimur? in lustris & ganeis multo, ut malint, quam in literis & bonis artibus tempus consumere, operamq; dare non humanitati ut uelint, sed plane immanitati. Corruptus enim quasi gustus est animorum ipsorum: neq; secus quam ægroti nocentia & consentanea malo suo appetunt, contrariaq; huic ut ingrata refugiunt. Iam qui etiam literas non plane respuunt, pleroſque tamen uideas non Musarum quasi uoce, sed barbariæ strepitu delectari. Apparet enim illa elegans quidem, & suauis, sed exilis & tenuis, quæ neque inter bonorum neq; inter opum mentiones exaudiatur, barbaria autem ubiq; Stentorium quiddam personat, suiq; intelligentes, ut Scytham illum equi hinnitus, mirifica uoluptate complet. Itaq; statim ad dignitatem & copiam, atq; etiam splendorem illius, omnes fere Musarum parta & quæsita, ut exilia quædam animi bona, abijciunt, & apprehendunt ista præclara & eximia, eisq; cedere tanquam infimæ conditionis hanc turbulam ut regibus ac satrapis iubent, & Musas, ueluti secundum Tragœdiam,

ξένας τυράννοις ἐκ πόλεων καθιστάναι.

ALIVD EXEMPLVM CHRIAE.

Euripi-

Euripidis uersus cum admiratione omnium audi-
tus fertur, huius sententiæ.

Quid turpe? nisi quod ei uidetur qui facit.

Hoc Diogeni non placuit, qui turpitudinẽ in naturæ iudicio non opinionis errore sicut & honestatẽ uellet constitui, itaq; ille sic fertur mutasse.

Quod turpe, turpe est, seu putes, seu non putes. Sed multitudini probatam fuisse Euripidis senten-
tiam, nihil mirum: cum persuasione enim illa uulgi congruit, at doctrinæ ratio, opinionem esse incer-
tissimam, naturam autem firmissimam probat. Quod si uerum est, non potest fieri ut pro arbitrio homi-
num res mutentur, sed ipsæ potius suum ut quasi statum quendam constantissime seruent, idq; quod sunt, permaneant, quamuis omnes mortales diuer-
sum sentiant.

ALIA CHRIA.

Antisthenes censuit nullam esse maiorem pernici-
em rerumpublicarum, quam bonorũ neglectionẽ, & contemtum, uel odium quoq;, malorum curam & ob-
seruationem, aut etiam amorem. Recte quidem, ut ui-
detur, nam, ut egregie dixit quidam de Eleis, Talem esse ciuitatem qualis cuiusq; domus sit: ita priuata bo-
na aut mala in repub. congregari, & his euerti, illis stare omnes ciuitates, necesse est.

EADEM BREVIOR.

Cum ciuium bonitas rempub. stabilire, improbi-

tas conuellere soleat, rectißime dixisse uidetur Antisthenes, Interitum esse in hoc reipub. si boni a malis non discernantur.

ALIA CICERONIS, IN EPIstola quadam ad Brutum.

Solon, qui & sapiens unus fuit ex septem, & legum scriptor solus ex septem, rempub. duabus reb. contineri dixit, præmio & pœna.

EADEM DILATATA.

Quis Solonis non laudat dictum, eius quidem uiri, qui cum omnis sapientiæ fama in septem illis quorum nota sunt nomina contineretur, & inter eos fuit, & quod nemo illorum uel tentare ausus fuit, uel præstare potuit, legibus latis, non oppidum paruum, sed celeberrimam & præclarißimam Græciæ ciuitatem Athenas constituit. Is igitur cum ex ipso forte quæsitum esset, quibus maxime rebus stare conseruariq; rempub. crederet? respondisse fertur, Duabus potißimum, si & præmia honoresq; bonis, & malis pœnæ atq; supplicia parata essent. Siq; hæ res neque diuiderentur, ut altera retineretur, altera omitteretur, nec permutarentur, ordine ut peruerso bonis male, malis bene esset. In quo quidem ipso confirmatis his, illis debilitatis, præsens exitium imesse reip.

diebat.

diebat. Libenter multas commemoro χρείας, etsi ueterum scripta pleraq; ingentem copiam harum suppeditant. Sed nostra etiam exempla non obfutura studiosis confido. Iactitarat quodam tempore Philippus rex Macedonum, se munitißimam & potentißimam urbem Olynthi suis copijs & sua uirtute cepisse atq; euertisse. Hoc quidam cum Athenis audiuisset, Ille quidem, inquit, magnam urbem euertit, sed magnam nullam adhuc condidit. Quid enim in hoc esse potest præcipue laudis, bene fundata & constituta, conuulsa & diruta esse? quæ est ferri & flammæ uirtus. Sed hæc est uera & digna homine gloria, uel iacentia atq; prostrata erexisse & instaurasse, uel de integro speciosa & excellentia opera effecisse. Itaq; egregie, ut omnia, cecinit & hoc Pindarus,

ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ φλαυροτέροις.
ἀλλ' ἐπὶ χώρας αὖθις ἔσαι, δυσπαλὲς δὴ γίνεται
ἐξαπίνας, εἰ μὴ θεὸς ἀγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένηται.

Quorum sententia est: facile ignauioribus etiam, urbem ut dißipent: sed hoc nequaquam in promtu esse, ubi euersa sit ibidem illam statim restituere, nisi Deus principibus dux & gubernator affuerit.

ALIA.

Solon Athenienſis cum audijſſet inter pocula accinentem fratris filium carmen Sapphicum, quod sibi ualde bonum uiſum eſſet, poſtulauit ab adoleſcente, ſe ut illud doceret. Tum quidam: Capularis ne tu ſenex,

inquit, ediscendo huic studebis? quam ob causſam quæso? Vt prius, inquit ille, ediscam, & deinde moriar.

ALIA, subijciens hoc,

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Neoptolemum actorem tragœdiarum nobilem, interrogasse quidam ex familiaribus perhibetur, Quam maxime Sophocleam, Euripideam ue, aut Aeschyli sententiam admiraretur? Cui ille, Nullam admodum. Sed illud admiror, inquit, quod nuper uidi in amplißimo proscenio geri. Philippus rex cum celebratis filiæ Cleopatræ maxima hilaritate nuptijs, postquam ipse inter deos duodecim in conuiuio decimustertius accubuisset, postridie in theatro cæsus occubuit.

ALIA.

Alexander magnus post illas admirabiles uictorias Asiaticas, cum iam illam orbis terrarum partem occupasset, interrogatus qua re maxime Asiam subegisset, respondit, Vsurpatione Nestorij consilij. μηδὲν ἀναβαλλόμενος: Quod ut præclare dictum est a summo rege, ita non minus uenuste e contrario philosophus eximius Democritus fertur commemorasse, τὸ ἀεὶ μέλλειν, ἀτελέας ποιεῖν τὰς πράξεις, quasi nos dicamus, procrastinatione nullas res peragi.

ALIA.

Quidam Chius, qui uino uendendo quæstum facere

cere solebat, cum optimum & suauissimum traderet alijs precio accepto, ipse ad suum usum pessimum & acidum eligebat. Quærenti igitur cuidam aliquando de seruo illius, quid herus ageret? respondisse seruum aiunt, In bonorum eum copia mala quærere. Quis autem est prope omnium, cui non idem recta ratio dicere posse uideatur? Quis enim cum liceat præsentib. bonis frui, animi placidi & constantis, & instructi honestate consiliorum, non malis potius cupiditatibus delectatur, & alia nescio quæ turbida atq; insincera gaudia affectat? Quinetiam in istis uulgi opinione beatis, opulentis & diuitibus, quotusquisq; inuenitur, qui ijs ipsis quæ contigere, quæq; bona esse sentit, se ex animo, ut dicitur, oblectat, ac non aliena requirit & respectat? Diximus autem supra, chriam requirere personam. Sed hæc interdum est ἀώνυμος, idq; etiam indicandum breuiter duximus, uno utriusq; linguæ exemplo. Xenophon Oeconomico, καλῶς ἂν καλεῖν εἶπεν, ὡς ἔφη τὴν γεωργίαν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν εἶναι. Cicero Officiorum lib. 2. Commode autem, quicunq; dixit, pecuniam qui habeat non reddidisse, & qui reddiderit non habere: gratiam autem & qui reddiderit habere, & qui habeat, reddidisse. Sed nunc ad alia accedamus.

DE SENTENTIA, quæ γνώμη dicitur.

SEntentia est oratio breuis, quæ complectitur, generalia quædam dicta, seu uoces uniuersales, ut Fabius loquitur, quibus facile qui audiunt moueri, atq; etiam assentiri soleant. Ideo & probationum communium hæc capita esse possunt. Cum enim ut diximus, omnium animos ad assensionem moueant, rationum quædam firmitas in his inerit. Has igitur colligent pueri diligenter de optimis scriptoribus, & locis quibusdam distinguent, ut ad omnes materias præsto sint. Cauebitur tamen, ne crebritas illarum orationem deformet. Id quod accidit, & cum ineruditiores anxie conquirunt omnia, quibus copiam & ornamenta quædam parari existimant, & cum doctiores quoque immodice coaceruant hæc lumina, uel quia sapientiam suam ostentare, uel quia ita oportere fieri censent. Tale genus dicendi celeriter post eloquentiæ, id est Ciceroniana tempora extitit atq; increbuit, ut licet de Senecæ scriptis cognoscere: & Fabius cum alibi, tum ubi de sententiarum generibus disserit, notat, cum harum usum modo carere dicit. Sententiam quidem καθ' ἐξοχὴν dictam, ut ἐνθύμημα, constat: in significatione non cuiuslibet sententiæ animi, sed & sapientis & eximiæ. Nam & leuis est sententia puerorum apud Terentium: & sententia iudicum, dicitur decretum quoddam illorum. Sed sententia nunc intelligitur ea, quæ sensus omniũ tangat atq; moueat, uel manifesta ueritate, uel certe apparente similitudine huius. Vt:

Trahit

Trahit sua quenq; uoluptas.
Nihil est ex omni parte beatum.
Nulla salus bello.
Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditq; &
Dolus an uirtus quis in hoste requirat? (uidet.
Vitam regit fortuna, non sapientia.
Fortes fortuna adiuuat.
Vna salus uictis, nullam sperare salutem, &c.

Quæ enim uulgo uera uidentur esse, etiamsi non sint uera, tamen communem approbationem omnium facile inueniunt. Itaq; pleræq; tales sententiæ sermone multitudinis frequentatæ, &, ut dicitur, tritæ, prouerbia fecere.

Ipsæ autem sententiæ, aliæ per se definitum & planum habent quod intelligatur, aliæ rationibus subiectis explicantur. Simplex est:

Cogi qui potest, nescit mori. Item,
Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel uia læti. &,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Rationib. subiectis sententiosa est serui oratio in Plauti Pseudolo, quod ut insigne exemplum, unum pro pluribus esse poterit:

Centum doctũ hominũ consilia sola hæc deuincit dea,
Fortuna, atq; hoc uerum est. Proinde ut quisq; fortuna utitur,
Ita præcellet, atq; exinde sapere eum omnes dicimus:

Bene ubi quod cõsilium discimus accidisse, hominẽ catũ
Eum esse declaramus: stultũ autẽ illũ, cui uertit male.
Stulti haud scimus frustra ut simus, cum quid cupienter dari
Petimus nobis quasi quid in rem sit posimus noscere.
Certa omittimus, dum incerta petimus, atque hoc euenit,
In labore atq; in dolore, ut mors obrepat interim.

Primum hoc quod posuit, fortunam omnium sapientum consilijs esse potentiorem, secundum hoc, τύχη τὰ τῶν εὐβούλων, ἐκ εὐβουλίας, quam sententiose probauit? Deinde alterum quod hinc fluxit, stulta esse hominum uota, uerum esse & ipsum uoluit ostendere, de incertis consilijs & inani prudentia hominum. Sed hæ rationes sententiarum, cum nunquam debent esse prolixæ, itaq; illa Plautina (ut uerum fatear) disputatio potius est quã γνώμη, tum sæpe ualde breues, & cum sententia coniunctæ reperiuntur, hocq; modo fiunt illæ argutæ. Vt, θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρονῆς ὑπὲρ θεούς.

Quare enim non est in cœlum erigenda superbia? quia nos mortales sumus, &c.

Fiunt etiam longiores sententiæ alijs modis: ut comparatione,

Albus ut obscuro detergit nubila cœlo
Sæpe notus, neq; parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristiciam, uitæq; labores.

Hoc

Hoc genus perelegans est, & orationem duplici quodam ornamento implicato, & quasi conserto, mirifice illustrat. Item diuersum uel contrarium cum infertur, sententia fit plenior. Vt,

Tam deest auaro quod habet, quam quod non habet.

Item Sophocleum illud,

Non mors misera est, sed mortis ademta copia.

Tale est hoc Ciceronis: Magna di curant, parua negligunt. Et hoc: Opinionum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat. Item Vergilianũ hoc,

Facilis descensus auerni,
Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.
Sed reuocare gradus, superasq; euadere ad auras
Hoc opus, hic labor est.

Elegans etiam, copiosa quasi explicatio sententiæ, cui si postea uel diuersum uel contrarium membrum adijciatur, admodum illa eminet atq; elucet. Vt Virgilius lib. XII.

Multa dies uariusq; labor mortalibus æui
Rettulit in melius, multos alterna reuisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locauit.

Et lib. X.

Stat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus est uitæ, sed famam extendere factis,
Hoc uirtutis opus.

Oratorum gnomæ fere habent explicationes illustres, ut Isocrateæ, in quibus plerisq; ἀποδείξεις reperias. Vt in Archidamo: Nihil est rerum omnium simpliciter

pliciter neq; malum, neq; bonum: sed ut quisq; ad res & tempora sese accommodarit, ita finem consequi illorum necesse est. Item: Res secundæ etiam in hominibus nihili uicia occulunt: aduersæ uero repente quales quiq; sint, planum faciunt. Tale est hoc Ciceronis: Silent enim leges inter arma, nec se expectari iubent, cum ei qui expectare uelit, ante iniusta pœna luenda sit, quam iusta repetenda. Item: Magnus est conscientiæ, iudices, & magna in utranque partem, ut neq; timeant qui nihil commiserint, & pœnam semper ante oculos uersari putent qui peccarint.

De tractanda sententia, quæ ἐργασία Græce dicitur, postea dicetur. Sed huius partis studium est maxime pueris utile. Non enim solummodo eruditionem literarum, sed morum etiam & uitæ institutionem complectitur: & cum format atq; perficit iudicium, tum uaria rerum intelligentia animos ad prudentiam præparat. Quare illi γνώμας cum magna cura & attentione cum de ueterum scriptorum libris excerpere, tum notare & excipere studebunt de dictis atq; sermonibus quorumcunq;. Nam sæpe etiam ineruditi, & minus prudentes atq; simpliciores homines, bona & salutaria & sententiosa dicta proferunt. Vt hoc nostratis linguæ,

Sey kün / vnd nicht zu kün.

Id tale est, quale illud quod alio respectu Sophocles dixit, τὸ σοφὸν ἐ σοφία. Nam & audacia nimia,

teme-

temeritas est: & nimia sapientia, desipientia. Et hoc egregie maiores memorare audiui:

Wer gern pflantzet / der lebt lang.

Serit enim agricola, ut Latinus poëta fecit, arbores quæ alteri seculo prosint. In hac cura igitur & hoc labore diu conseruatur diuinitus salus illius, diu ut multumq; humano generi prosit.

Eins bidermans erb in allen landen leyt.

Omne solum forti patria est.

Et Euripidea sententia, ἅπας μὲν ἀνὴρ αὐτῷ πειρασιμὸς ἅπασα ὁ γῆ ἀνδρὶ γενναίῳ πάλεις.

Als wer den bösen zeuhet / der wirdt doran betrogen / ists das er jhn nicht fleuht.

Φεύγων δὴ λυκίδας, φεύγει κύνας, ὡς τυ φάγωμι.

Was sölle sein oder werden / zwar das mûß jhe geschehen.

μοῖραν δ' ὅ τινά φημι πεφυγμένον εἶναι ἀνθρώπων.

Possem similiter multa de nostratib. poëtis excerpta afferre, sed hæc relinquenda sunt iam studio & obseruationi ueſtræ. Et Teutonicæ etiam linguæ hæc est uirtus, ut huic generi grauium & memorabilium dictorum ualde idoneasit, quod ipsum gentis uirtutem probat atq; declarat.

Sententiam autor Rhetoricorum ad Heren. ait esse orationem sumtam de uita, quæ aut quid sit, aut quid esse oporteat in uita, breuiter ostendit. Sunt enim aliæ, ut Græci uocant, ἀποφαντικαὶ, quæ habent aliquam sapientem, & grauem, & memorabilem expositionem, ut Cæcilianum hoc,

Sæpe

Sæpe est etiam sub palliolo sordido sapientia.

Et uersus Euripidis a Cicerone translatus:

Bene qui conijciet, uatem hunc perhibeto optimum.

Et innumerabiles apud poëtas, maxime tragicos. Talia & Homerica multa, ut hoc,

ῥεχθὲν δέ τε νήπος ἔγνω. &

οὐκ ἀρετᾶ κακὰ ἔργα, κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.

Sed aliæ sunt ὑποθῆκαι, seu παραινέσεις, id est, admonitiones & præcepta, quæ uel cohortantur ad bona, uel dehortantur a malis. Atq; harum generaliores aliæ, aliæ ad certas personas destinatæ. Prioris generis hæc:

τέλος ὁρᾶν μακροῦ βίου.

οὐκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Iubentur enim omnes spectare uitæ terminum, & regi uni uelle parere. Item,

μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.

Vetat lucri sceleratæ cupiditati indulgere. Huiusmodi multæ apud Hesiodum, & plenus his Theognidis libellus, & Isocratis illæ orationes duæ ad Demonicum & Nicoclem, &c. Posterioris:

ἐργάζευ νήπιε πέρση. &,

ἀλλὰ ἄναξ αὐτὸς τ' εὖ μήδεο, πείθεο τ' ἄλλῳ.

Et in Miloniana: Te Magne tamen ante testaretur, quod nunc etiam facit. Vide quam sit uaria commutabilisq; ratio, quam uaga uolubilisq; fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quam ad tempus aptæ simulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum,

quan-

quantæ timiditates. Sed mihi indicare hæc quasi intento, ut dicitur, digito, non colligere, neq; cumulare propositum. Illud enim doctrinæ, institutæ, hoc studij discere & proficere in illa uolentium, fuerit.

Ad γνώμην etiam παροιμίαι pertinent. Nam trita sermone multitudinis illa prouerbium fit, ut diximus. Cuiusmodi sunt: Pereant amici, dum inimici una intercidant. Et, Quem di diligunt, adolescens moritur, &c.

ἐκ κάρτα βαιῶν γνωτὸς ἂν γένοιτο ἀνήρ.

Omnia præclara rara.

νήπιος ὃς τὰ ἑτοῖμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκῃ. Item,

πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἀκροῦ.

Sed uel plurima huiusmodi assumere in promtu est.

DE ETHOLOGIA.

SVbijciemus hoc loco & Ethologiæ exercitium: Hæc eadem & ἠθοποιία uocatur, de qua dicemus breuius, et minus exquisite atq; Græci fecere, est enim hæc nequaquam puerilis studij cuiusdam, sed eruditionis quasi prouectioris. Hoc discent igitur pueri, sæpe figurari orationem, tam solutam hanc quam illam numerosam, quadam copia introductæ personæ, qua fit illa tum in actionis forma grandior, & quasi neruosior ad omnes animi affectus.

Hoc distinxere docendi caussa ad talem modum: Ethopœiam ut uocarent, cum personæ notæ attribuere-

bueretur ficta oratio. Vt est Herculis post interfectos a se liberos lamentatio, aut Andromaches, occiso Hectore. Quorum exempla de poëtis in promtu est sumere.

Idolopœiam autem esse uolunt, cum persona nota ueluti excitatur ab inferis, & producitur cum oratione: ut Appius Cæcus in Cœliana, & Polydorus atq; Iliona in Tragœdia, & Hector Aeneid. 2.

Prosopopœia, cum etiam ipsa persona fingitur. Vt cum rempub. faciunt loquentem, aut patriam, aut uirtutis & sapientiæ uocem tanquam hominum promunt. Eodem referentur & illæ figuræ loquentium personarum, quæ apud poëtas frequentãtur, & εἰδωλοποιήσεις etiam a quibusdam dicuntur: ut cum ea quæ accidunt atq; usuueniunt in terris, attribuimus quibusdam ueluti numinibus illorum, & simulacra effingimus, quemadmodum Homerus Eridis, Ates, Litarum: Maro Famæ, Discordiæ, Bellonæ. Talia sunt simulacra ὕπνου, καμάτου, πλούτου, ἐριννύων. Et ridicula ἐλέγχου apud Lucianum, imitatione quadam Menandri: & apud eundem, lecturi & lucernæ. Hæc igitur cum loquentia & uocalia fecerimus, ad hanc speciem poterimus referre. Eodem pertinent & sermones qui attribuuntur ἀλόγοις animantibus: ut oratio equi apud Homerum, & canum apud Aristophanem disceptatio.

His ita docendi caussa distinctis, tentabunt pueri quid in singulis possint, ut exempli gratia, Quid

creden-

credendum sit Laodamiam dixisse, & quam fuisse querimoniam illius, accepto nuncio de morte uiri. Item, Quam orationem habere potuerit Iulius Cæsar, allato Pompeij capite.

Præterea introducent maiores nostros, reprehendentes huius seculi prauitatem, et dissolutionem omnis disciplinæ deplorantes, & exprobrantes occasionem tot commoditatum ad uitæ culturam, in primis artium & studiorum humanitatis, quibus ipsi caruerint. Postremo & Germaniam facient, cohortantem ciues suos ad uirtutem & decus: uel orantem, ut se a uastitate & barbaria cum morum & incolarum, tum incursionum & hostium defendant.

Atq; in hac parte illas etiam fabulosas & poëticas figuras quas diximus, Inq; his παλάσμαλα, uel perturbationum animi, uel morborum corporis, itemq; euentorum atq; casuum persequentur, ut, Lectuli querentis de morositate ægrotantis: Ianuæ, de superbia & importunitate domini, aut turpitudine familiæ: podagræ, uel querentis, uel deferentis, uel probantis hospitium. Tum iræ, cupiditatis, metus, lætitiæ, ægritudinis simulacra loquentia producent.

Neq; nocuerit, si pueri in his ueluti hæsitarint, neq; illa perficere, & tanquam extruere apte atq; probabiliter deniq;, & splendide potuerint. Nam his absoluta etiam doctrina interdum non satisfacit. Itaq; scripsit de prosopopœia, & hoc egregie, Fabius, in illa magnam uim eloquentiæ desiderari, Falsa

enim, inquit, et incredibilia natura necesse est aut magis moueant, quia supra uera sunt: aut pro uanis accipiantur, quia uera non sunt. Ferantur igitur in his initia rudia & imperfecta quædam, ac ueluti balbutiens studium. Non autem exerceri in re quanquam difficiliore, ita tamen in eloquentia eximia & eminente, non est ferendum. Quintilianus in hoc genus contulit & δικλόγους, de quibus supra dictum. Et fecit ethopœian, quam & μίμησιν uocarunt, imitationem morum alienorum: & tam in dictis quam factis posuit. Sed hæc iam alieniora a proposito nostro sunt, & reseruanda suo cum loco, tum tempori.

Intelligendum autem hanc tractationem esse proprie ficti sermonis, quo aut animi habitus, aut corporis gestus quidam referatur, ut plane μιμητικὸν hoc genus esse sciamus. Nam narrationes siue expositiones simpliciores ad ἐκφράσεις & ὑποτυπώσεις, de quibus diximus, sunt referendæ.

Sunt & quædam uulgares personæ, quæ sine nominibus introduci solent, ut apud Homerum,

ὣδε δέ τις εἶπεσκεν ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον.

Tunc alium est spectans aliquis sic ore locutus.

Cicero pro Cœlio: Dicet aliquis, hæc igitur tua est disciplina, sic tu instituis adolescentes, ob hanc caussam tibi hunc puerum parens commendauit & tradidit? ut in amore adolescentiam suam collocaret, & hanc tu uitam atq; hæc studia defenderes. Isocrates ad Philippum:

τάχ'

τάχ' οὖν ἄντις ἐνστῆναι τοῖς εἰρημένοις τολμήσειε, λέγων, ὡς ἐπιχειρῶ σε πείθειν ἀδυνάτοις ἐπιθέσθαι πράγμασιν.

Obiecerit forte aliquis, conari me ad ea te inducere, quæ perficere non poßis. Has Græci uocant τὰς καθ' ὅμιλον ἠθοποιίας, ut Eustathius in Iliad. δ.

Huc pertinent ætatum, sexuum, conditionum, nationum, fortunæ, generis, profeßionum, studiorum, instituti, temporis, loci discrimina. Vt cum nihil sine pulcritudine & decoro laudari in oratione quoque mereatur, quod πρέπον appellant Græci: hæc pars tota in hoc consistat, atq; contineatur. Aliter loquetur puer, aliter adolescens, aliter senex, uir, mulier, uirgo, matrona, cœlebs, maritus, seruus, liber, herus, famulus, princeps, subditus, Græcus, Scytha, Persa, Lacon, Atticus, Bœotius, Francus, Sueuus, miser, beatus, nobilis, plebeius, Stoicus, Epicureus, Academicus, Cynicus, uenator, architectus, cerdo, literatus, illiteratus, aulicus, & qui in republica uersatur, aliter priuatus. Alia in pace habebitur, alia in bello oratio: alia in publico, alia domi.

Sed ad hæc, si perfecta bonitate & laudabilia esse debeant, requiritur magna prudentia, rerum plurimarum cognitio, ingenium quoque non hebes, & usus singularis, quæ a pueris requirenda non sunt, quos tamen in his quasi periculis quibusdam eruditionis balbutire non alienum, uel potius necesse fuerit, & conari ea facere quæ nondum poßint, atque de his initijs progredi semper ulterius, donec tem-

pore & ſtudio ſuo quaſi ad metam perueniant. Multa igitur & in ijs quæ diximus tentabunt, utiliter aſſumta de communi uita, de conuictu hominum & ſodalium ſuorum, de ijs quæ ipſi cotidie fieri gericq; publice priuatimq; alius alia, animaduertent atq; intelligent: in lætis triſtibuſq; caſibus, in ſerijs & iocoſis, in factis magnis paruiſq;. Ita inſtruetur animus quoq; cognitione & iudicio & paulatim conformabitur ad illam quam dico pulcritudinem & decorum perſpiciendum & præſtandum non ſolum in oratione, ſed etiam in uita. Indicanda autem eximia huius generis exempla ſunt diſcipulis accurate, & diligenter commendanda a magiſtris in ſcriptis ueterum autorũ, ut ſaltem admirari aſſueſcant, qui nondum hanc eloquentiæ maximam uirtutem aſſequi poſſunt, & ut contemplentur illa tanquam tabulam, non ſolum nitidis, & (ut dicitur) lætis ac illuſtribus coloribus, ſed etiam cum magna arte & exquiſita ratione pictam, de cuius aſpectu magis quã intelligentia uoluptatem capiant. Quid enim hoc mollius, aut miſerabilius fieri potuiſſet?

Dulces exuuiæ, dum fata Deuſq; ſinebant,
Accipite hanc animam, meq; his exoluite curis.
Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi,
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago, &c.

Quid terribilius & uehementius iſto?

---Tu ne hinc ſpolijs indute meorum

Eri-

Eripiare mihi? Pallas te hoc munere, Pallas
Immolat, & pœnam scelerato a sanguine sumit.

Quam elegantia illa in Cœliana? Sed dubito, quem patrem potissimum sumam? Cæcilianum ne aliquem uehementem atq; durum. Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur ira. Aut illum: o infelix, o sceleste, ferrei sunt isti patres. Ego ne quid dicam? Ego ne quid uelim? Ego ne? quæ tu omnia tuis fœdis factis facis ut nequicquam uelim. Vix ferenda diceret talis pater. Cur te in istam uicinitatem meretriciam contulisti? cur illecebris cognitis non refugisti? cur alienam ullam mulierem nosti? dede, ac disijce. Per me licebit. Si egebis, tibi dolebit, mihi sat est, qui ætatis quod reliquum est oblectem meæ. Huic tristi ac decrepito seni responderet Cœlius, se nulla cupiditate inductum de uia decessisse, quid signi? nulli sumtus, nulla iactura, nulla uersura. At fuit fama? quotusquisq; istam effugere potest in tam maledica ciuitate? Vicinum eius mulieris miraris male audisse, cuius frater germanus sermones iniquorum effugere non potuit? Leni uero & clementi patri, cuiusmodi est ille, Fores effregit, restituentur, discidit uestem, resarcietur, Cœlij caussa est expeditissima. Quid enim esset, in quo se facile non defenderet? Nihil iam in istam mulierem dico, &c. Hunc totum locum recensere placuit, quod uix alium reperias ad hoc quod demonstrare uolumus, indicandum aptiorem. Est & in Finibus prosopopœia per-

bella hæc: Quid si reuiuiscant Platonici illi, & deinceps illi qui eorum auditores fuerunt, & tecũ ita loquantur? Nos cum te M. Cato, studiosissimum philosophiæ, iustissimum uirum, optimum iudicem, religiosissimum testem audiremus, admirati sumus, quid esset cur nobis Stoicos anteferres, qui de rebus bonis & malis sentirent ea, quæ ab hoc Polemone Zeno cognouerat, nominibus uterentur his quæ prima specie admirationem, re explicata risum mouerent. Tu autem si tibi illa probantur, cur non proprijs uerbis illa tenebas? Sin te autoritas commouebat, nobis ne omnibus & Platoni ipsi nescio quem illum anteponebas, præsertim cum in repub. princeps esse uelles, ad eandem tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari atq; instrui posses. Nobis enim ista quæsita, a nobis descripta, notata, præcepta sunt, omniumq; rerum publicarum rationes, genera, status, mutationes, leges etiam & instituta ac mores ciuitatum præscripsimus. Eloquentiæ uero, quæ & principibus maxime ornamento est, & qua te audiuimus ualere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses? Addamus & nostrum exemplum, ut instituimus: de quo, ut spero, huius generis rationem ac uiam & ipso aliqua ex parte poteritis perspicere.

IDOLOPOEIA PATRVM ADOlescentiæ corruptæ, & aberrantis in cursu bonorum studiorum.

Si nunc

Si nunc parentes uestri qui præclaram spem concepere, futurum ut instructi aliquando optimis disciplinis & artibus reuertamini in patriam, & referatis uobiscum eam facultatem, easq; copias, de quibus & ipsis præsidium, & uobis dignitas atq; opulentia speranda esse uideatur, uos & talem uitam degere cernant, & his studijs deditos, & talibus moribus præditos esse, quid dicturos illos putatis? An nõ accusaturos primum fortunam suam? qui tam inauspicato in lucem uos produxerint, & nequicquam ad hanc spem honoratæ & laudabilis uitæ eduxerint. Deinde senectam miseram ac calamitosam suam deploraturos? In qua cum acquiescere post exhaustos labores deberent, tantos dolores & molestias capiant ex talibus filijs. Illorum uero aliquis si præ mœrore loqui posit, has cum lacrimis querelas effusurus sit: Ego te fili, cum huc tenderem, sperabam reperturum me & eo in loco quo oporteret, & ijs rebus occupatum quibus maxime deceret, gestiebamq; & ipse te uirtuti atq; bonis artibus operam dantem complecti, & audire diligentiæ assiduitatisq;, atq; etiam moderationis ac honestatis tuæ prædicationem, atq; hæc fingebam gaudia infelix pater animo meo, neq; uerebar, ornatu gestuq; tali in caupona ad aleam interq; ebrios insani ac furentis speciem mihi oblatum iri, neq; cogniturum me pro libris te calices uertere, & non Musis, sed flagitijs in uigilare. Quid sibi hic cultus, quid corporis motus,

quid oculi natantes, quid pendentes genæ uolunt? O me miserum senem, cur pater esse unquam concupiui? cur non ante hos dolores aut tua aut mea esse morte desij? Non iam pecuniæ, quam in tuam perniciem impendi stultus, me pœnitet: expectationis pœnitet, & pudet confidentiæ. Quid enim non policebar de te mihi? Quæ splendoris tui, quæ meæ felicitatis heu uana spes non lactauit animum meum? Quid ego nunc igitur agam? quid consilij de te capiam? Reducam ne domum te summo cum dedecore, ad ludibrium inimicorum, & amicorum indignationem? An ablegem alio? Quo uero tandem? Aut qua noua uel meliore spe? Imo ego te cum perieris, perditum esse ducam, non ætatem meam hac etiam cura & anxietate onerabo. Habes a me tua, plura quidem quam debita fuerint. Iam uiuo patre patrimonium consumsisti. Quære nunc tu tibi, unde stolidam & dementem uitam tuam sustentes. Per me quidem quod superest, egebis, algebis, esuries. Non ego fouebo, neq; alam magis uecordiam tuam: neq; is uidebor, de quo ut corpus, ita animus quoq; uesanus tuus propagatus esse uideatur. Sero quidē, & ictus sapiam: sed sapiam sic potius tamen, quam delirare pergā. Fortasse etiam desertio mea te docebit melius, quam sustentatio docuit. Multi sunt qui bona ferre nequeunt, malisq; eruditur. Conuertam igitur rationem & consilium meum, & alijs te magistris committam instruendum. Egestati atq; Inopiæ. Copia enim te male, ut uideo,

uideo, curauit. In re quidem nihil esse periculi intelligo. Nam interire non potes, quippe qui iam occideris. Hæc & his similia ille diceret, & lacrimis singultuq; gemitus ac dolore plura loqui prohiberetur. Quod si maiorum etiam quispiam reuiuiscere, nimirum admiratione stupefacto hæc uerba erumperent: Quem ego nepos te aspicio? quæ hæc noua atq; insolita facies offertur oculis meis? Tu ne posteritas atq; sanguis meus? Quæ res igitur te corrupit? Quæ clades illata est generi nostro? Non agnosco te. Non tu soboles prolis meæ: sed barbarus aliquis, impurus, audax, furiosus suscepit atq; progenuit te de impudica & petulante fœmina, suppositum partum nurus meæ. Apage te, dedecus & turpitudo nominis nostri, neq; te insere in eam stirpem, cum qua nihil est commune tibi, neq; consentaneum. Hæc aut similia locutus, reddi tenebris properaret, & quamprimum inuisum & tristem aspectum istum relinquere quæreret, &c.

DE EPISTOLIS.

REperio Græcos Prosopopœis, & totam Panegyricorum rationem, & epistolarum compositionem subiecisse. In quibus quisq; primum suam personam ueluti producit loquentem, & sæpenumero alienæ quoq; inserendæ sunt. Quare de epistolis hoc etiam loco, quod exercitium in scribendo nunc

maxime frequentatur, nonnihil dicere placuit. De Panegyricis autem hoc loco dicendum non putauimus.

De epistolis conscribendis multi multa tradidere: quæ in promtu fuerit cognoscere, si qui forte requirent. Nos autem in ea sumus opinione, si de hoc genere quæratur, de tota dicendi ratione quæri. Quid enim est de quo dici possit, & non soleat perscribi? Ergo epistolarum præcepta a Rhetorum præceptis communibus diuersa nulla erunt. Sed de modo orationis, ad quem hanc in epistola temperari rectum uideretur, pleriq; hoc uisum, cotidiano illum sermone accuratiorem & disertiorem, elaborata dictione remissiorem esse oportere: ut neq; studium compositionis appareat, & negligentiæ tamen deformitas absit: absit elegantia, sed non quæsita esse uideatur. Dicuntur similiter & alia multa, quæ sunt communia præcepta narrationum rhetoricarum. De ipsis autem epistolis, si quid est dicendum quod ad hoc genus proprie pertineat, hoc tenendum, cotidiano sermone in epistolis utendum. Sic enim Cicero: Veruntamen quid tibi ego uideor in epistolis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo, quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? Quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo, priuatas causas, & eas tenues, agimus subtilius: capitis, aut famæ, scilicet ornatius: epistolas uero cotidianis uerbis texere solemus. Præterea si scriptionum materia in

genera

genera quædam distinguenda est, ne in hoc quidem meliorem autorem Cicerone reperire poterimus: qui exposuit tria, cum dixisset multa esse. Vnum, cuius caussa rem inuentam esse dicit, ut certiores faceremus absentes, si quid esset quod eos scire aut nostra aut ipsorum interesset. Επιστολὴ enim Græca uox, mandatum significat, quod perferendum ad absentes alteri traditur, uel uerbis uel scripto. Verbi proprie mandatum, & ἐντολαὶ, & etiam ἐπιστολαί. Vt Iphigenia Taurica,

θῆται παρ' οὐδὲν τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς.

Et Andromacha τὰς οὐ μένων ἐπιστολάς. Et Ouidius, Ad fratrem mandata dabat.

Scripti sunt γράμματα, & δέλτος, & ἐπιστολὴ, literæ, tabellæ, unde tabellarius, γραμματοφόρος, epistola, & diminuta uoce ἐπιστόλιον. Reliqua sunt, inquit Cicero, epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare & iocosum, alterum seuerum & graue. His, si uidetur, addamus quartum, cum quod ad alterum pertineat, aut alterius intersit, scribimus: etsi fortasse in primo genere includitur. Et quintum, ἐπιδεικτικὸν quoddam, totum fictum ad ostentationem ingenij, eruditionis, facundiæ, ad lusum quoq; & delectationem accommodatum. Ita reperientur omnes formæ, quæ solent commemorari, comprehensæ quinq; his generibus. Non enim est ulla quæ non sub aliquod illorum succedat: siue alicuius habere noticiam, & ab illo diligi

nos

nos uoluerimus: siue commendare alium, seu succensere alicui: seu accusare aliquem, criminari, consolari, obiurgare, monere, docere, hortari, rogare, terrere minis, solicitare promißionibus, obtrectare, laudare, reprehendere, res aliquas disserere, significare, euoluere, consilium dare, deprecari, suadere, seu aliquid scisscitari explicare ue, defensionem usurpare, rationemq; afferre, seu gratulari alteri, uel gratias agere: seu etiam irridere eum ad quem scribimus.

Sciendum autem, optimum esse quam proxime abduci a ueritate epistolas, & ea argumenta in hac exercitatione consectanda, quæ non tanquam epigrammata quædam habeant exquisita, & præfinita ueluti lemmata, secundum quæ deduci debeant: sed ea quæ de rebus ipsis & negocijs uel publicis uel priuatis extitisse, nataq; esse uideantur. Neq; tales sint, quales sunt Plinianæ pleræq;, & quarum a Græcis in breuitate affectata, posterioribus illis quidem, quasi orbis quidam, ut ipsi quoq; loquuntur, ἀπολελογημένα. Vt hæc Synesij: Vti potentum amicitia, non abuti decet. Et hæc: Grandia caue petas: ne uel si obtineas, alteri: uel si non obtineas, tibijpsi molestiam crees. Itemq; hæc quæ fertur Cratetis nomine: Siue est expetenda res labor, ne declines laborem: siue fugienda, tamen persequaris, ut deuitare possis. Nam labor fugiendo non euaditur: quæ autem contraria illi sunt, his ipsis etiam accersitur. Item Philostrati: Reformida uulgus, apud quod tantum potes. Et hæc:

Speras

Speras futurum, ut dicta tua in memoria durent Græcorum post mortem tuam: sed hæc nulla cum sint, dum sunt, quæ poterunt esse, dum non erunt? Et similes aliæ multæ, quæ non epistolarum, sed sententiarum & argutiarum exempla fuerint. Etsi breuitas, cum ita res fert, cui Lacones olim sic studuere, ut illius ueluti proprium & eximium usum sibi uendicarent, per quam elegantes epistolas efficere solet. Sed non sæpe incidit, ut non affectata illa uideatur. Vna est huiusmodi inter Ciceronianas epistolas, lib. VI. Cicero Basilio S.

Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor, a te amari, & quid agas, quidq; istic agatur, certior fieri uolo: Vale. Et altera ad Atticum, rebus plenior, lib. XVI. Iucundissimas tuas legi literas. Ad Plancum scripsi, habes exemplum. cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris. Fertur & Pomponij Læti perelegans hæc:

Pomponius Lætus cognatis & propinquis suis S. Quod petitis, fieri non potest: Valete. Fuerat autem a studijs suis reuocatus domum, & in patriam.

Non tamen illa, præsertim a Græcis, argute concluſa, & rotunde prolata, & sumta callide, & contorta breuiter, reprehendo aut damno, ac potius magnifacio & admiror: sed ad epistolarum propriam quandam rationem nihil pertinere censeo, non magis

quam

quam alias orationis uel figuras, uel gestus, uel insignia, quæ χήματα a Græcis nominantur.

Non enim bella solum, quæ literis mandentur, sed etiam eiusmodi esse uelimus, ut epistolæ formam habeant. Ea erunt quam minime fictis similia, & in quibus sint causſæ, & negocia, & personæ, & quæ incidere solent, aut possunt. Eaq; quo sunt maioris ponderis, aut minus contemnenda, aut minus usitata, hoc epistolæ scribuntur splendidiores. Itaq; & Cicero commemoratis quibusdam reipub. perturbationib. & impendentibus contentionibus, Attico scribit, Sperare se præclaras de istis rebus epistolas ad illum sæpe missurum. Et Rotingum quondam nostrum dicere memini, cum interdum cognouisset amicis tristiciam & damna, aut etiam calamitates oblatas fuisse, ex ijs casib. mirificas epistolas exorituras, ut magna hæc aduersæ fortunæ consolatio esse deberet: cum ut paternæ sæpe mortis dolor hæreditatis commodo, ita miseriæ scriptionum bonitate, inuitos & nolentes quodammodo exhilararent, inq; dolore molestia leuaretur. Atq; hoc usq; adeo esse uerum uidetur, ut in iocosis etiam epistolis eæ maxime placeant, quæ a rebus ipsis subiectæ, non quæ ad scriptionem conquisitæ, ac uelut euocatæ fuerint.

Quæ uero res magnæ paruæq; sint, non tam de ipsis, quam opinione hominum existimari potest. Itaq; Longolianæ epistolæ hoc nomine quasi affectatæ grauitatis immerito a quibusdam, nisi fallor, reprehen-

prehenduntur. Illi enim hæc, de quib. scribebat, magna, & nequaquam parui putanda scilicet uidebantur. Et sæpe ea accidunt quodam tempore grauissima, quæ alio fuissent forte leuissima. Quid autem uetat tanti quidque fieri oratione, quanti fit animo cuiusq; ? In quo si quis forte errat, alia iam accusatio ista fuerit, non scriptionis, sed iudicij. Verum ut ad rem redeamus, ad epistolarum compositionem accommodanda maxime sunt ea præcepta, quæ a Rhetoribus traduntur sermonis gracilis ac subtilis atq; elegantis. Non quod ad illa ita deuinctum propositum scribentis esse uelimus, ut inde discedere, alicubi nefas ducat: possunt enim multa incidere, quæ uel propter rei magnitudinem, uel animi commotionem, granditatem requirant: sed quia uniuersi huius generis docere, & explicare, & diserta expositio propria est, ideo in hanc partem uoluntas potissimum deflectetur atq; destinabitur. Ita fiet, ut etiam illa grandia tamen retineant quandam mediocritatem suam, & ita alte extollantur, ut extra epistolæ tamen modum non prodeãt. Quid poterat dici uehementius, quam hoc dictum est? Quem dij mortuum perdant. Et: Dij illi mortuo, qui unquam Buthrotum uenit. Hæc uero an parũ oratoria? Quid illa? dic M. Tulli, quem habebunt exitum. Et, Omitto caussam reipub. quam ego amissam puto, cum uulneribus suis, tum medicamentis his quæ parãtur. De Pompeio quid agam? Cui plane, quid enim negem? succensui. Semper enim

caussæ

cauſſæ euentorum magis mouent, quam ipſa euenta, Hæc igitur mala, quibus maiora eſſe quæ poſſunt? conſiderans, uel potius iudicans eius opera accidiſſe & culpa, inimicior eram huic quam ipſi Cæſari. Vt maiores noſtri funeſtiorem diem eſſe uoluerunt Alliensis pugnæ, quam urbis captæ, quod hoc malum ex illo: itaq; alter religioſus etiam nunc dies, alter in uulgus ignotus: ſic ego decem annorum peccata recordans, in quibus inerat ille etiam annus, qui nos hoc defendente, ne dicam grauius, afflixerat, præſentiſq; temporis cognoſcens temeritatem, ignauiam, negligentiam, ſuccenſebam. Quid omittit quod non colligat, ut iratus Pompeio merito fuiſſe uideatur? Atq; priorum recordatione, quaſi ille apud Homerum leo cauda ſtimulans latera, ita iritat iracundiam aculeis quibuſdam ueteris iniuriæ. Sed quam ἐπιστολικῶς tamen omnia protulit? Iam illa epiſtola ad Octauium, quæ dici poſſent in iudicio elaboratius aut grauius? Negarunt quidam huius autorem eſſe Ciceronem, ſed mihi ne ſuſpicio quidem adhuc ſane iniicitur, cur adimenda hæc illi eſſe uideatur. Sunt huiuſmodi multi alij loci in huius optimi, uel ſolius potius autoris Latinæ eloquentiæ epiſtolis diligenter obſeruandi.

Cum autem duo ſint, quibus oratio admirabilis reddi ſoleat: unum, quod Græci ἠθικὸν uocant, ad naturam, ut Cicero ait, & ad mores, & ad omnem uitæ conſuetudinem accommodatum: alterum, quod

ijdem

ijdem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur: hoc uehemens, incensum, incitatum, in quo uno regnat oratio, quo causſæ eripiuntur, iudicijs relinquatur: illud superius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum, epistolis attribuamus. In hoc erit humanitatis expressa effigies atq; custodia diligentißima, non solum ne quid uerbis, sed etiam ne quid sententijs barbare perscribamus: id est, ne quid insolenter, minaciter, crudeliter efferatur: quod genus barbarismi, animi natura fieri Quintilianus ait. Est autem, cum omnis sermo animi index, tum uero epistolæ scriptura quasi tabulã proponit, in qua depictum cuiusq; ingenium omnibus coloribus, ut dicitur, suis conspiciatur. Cumq; animaduerti natura de quocunq; sermone facile posse uideatur, tum hoc de nullo ita certo itaq; liquido perspicitur, atq; de epistolæ elocutione. Quare summopere studebimus huic quod ἠθικὸν dixi, ut ita scripturam attemperemus, ne ille nos autores suos dedecoret atque contaminet. Sæpe tamen iusta indignatio, & magnæ irarum causſæ asperiores sententias exprimunt: neq; id cum fit, non temere, neq; sine ratione, reprehendi solet. Vt illud asperrimum: Odi hominem, & odero. Vtinam ulcisci possem, sed illum ulciscentur mores sui. Item hoc: Multa tu quidem dicis, sed tibi nemo credit. Nam certe & assurgere interdum orationem, &, ut ita dicam, intumescere epistolam in

iusto dolore, non improbandum: & libertas, maxime si lacessitus sis, abijcienda non est.

Magnopere autem in scribendo considerabitur & eius persona qui scribit, & eius ad quem, & uero res, de qua scribitur. Non turpe enim solum, non cogitare ad quem scribas, sed etiam quid scribas. Vt enim cerdonem ille uetuit pictor ultra crepidam progredi censura sua, sic attingere & tractare omnia omnes nequaquam decet, neq; etiam ferendum. Itaq; prudentes scriptores, si quid forte incidit alienius aut a professione sua, aut a studio, arte, loco, conditione, in eo uerecunde & timide uersari solent, ne aut stulti aut imprudentes putentur in opinione uel erroris, uel audaciæ. Vtq; reprehensam legimus in Cleone Athenienſi, affectatam militaris rei laudem, ad quam minime esse idoneus uideretur: in Philopœmone autem studium rei naualis, & in Hannibale dicendi derisum fuit: ita quis ferat, imperitum ratiocinandi de mercatura, aut ociosum & Musarum comitem de apparatu consilijs ue belli differentem, aut desidem & inertem de re familiari augenda? In promtu enim est quod his dicatur, fabrilia debere fabros tractare. Ideoq; & perhumaniter quidem, ut filiam, castigat uerbis Iuppiter Venerem, quæ non dubitasset armis et conflictui bellantium sese implicare, τέκνον ἐμὸν, inquit, σοὶ δὲ δῶρα πολεμήια ἔργα.

Ad quem uero scribatur, diligenter etiam atque etiam cogitandum: alia enim apud imperitos, alia

apud

apud doctos, itemq; potentes, claros, humiles, plebeios, superbos, moderatos, nostros, alienos, senes, pueros, uiros, mulieres, oratio habenda. Res uero de qua scribetur, & ipsa orationis alium atq; alium quasi habitum quendam induere debebit. Vt & seria atq; grandia elatius atq; seuerius, læta hilarius, tristia durius, cotidiana mollius & pressius, singularia exquisitius, parua summisse, communia distincte eloquamur: deniq; ut ad affectum quorumq; naturam accommodetur oratio.

Cum sit autem, ut his uerbis ait Cicero, epistolæ proprium, ut is ad quem scribitur, de his rebus quas ignorat, certior fiat: proprius esse huius generis uidetur sermo planus & æquabilis, talis enim obscuritate caret, & non requirit attentionem præcipuam lectoris uel auditoris, aberunt ergo ambigua, longi ambitus uitabuntur, etiam prius dictorum aliquid repetetur interdum, si abduci uel etiam excurrere longius oratio uidebitur. Neq; me fugit, & hæc quæ dicta sunt, & quæ deinceps dicentur, ne ullo quidem in genere orationis negligenda. Nam quid dicat uel ille omnis decori & elegantiæ negligens: uel is quem aut nemo, aut cum magna cura cogitationeq; uix aliquis intellexerit? nisi forte de industria quædam tegere, & inuoluere ambagibus uoluerimus. Sed in proposito euidentiæ tenebras uelle obducere orationi, dementiæ fuerit. Nos uero sic nunc illa ad epistolarum rationem applicamus, ut in quibus maxime

eminere & conſpici ſoleant: ut forma atq; uenuſtas oris, etſi in omni ſexu ætateq; laudabilis & grata eſt, in pueris tamen atq; mulieribus eximiam habet gratiam atq; delectationem. Ergo in epiſtolis, hoc eſt plano genere ſermonis, fugientur & obliquæ elocutiones. obliquas uoco, quæ ſunt ab expoſitione directa & ſimplice detortæ. Vt exempli gratia, Cicero M. Marcello ita: Etſi nihil noui, quod ad te ſcriberem, habebam, magiſq; literas tuas iam expectare incipiebam, uel te potius ipſum: tamen cum Theophilus proficiſceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quam primum uenias: uenies enim mihi crede expectatus, neq; ſolum nobis, id eſt tuis, ſed prorſus omnibus. Et reliqua omnia ſimpliciſsime & lucu-lentiſsime.

Mutemus igitur, ut uideamus, quod quantum de luce, tantum etiam de bonitate diminuatur. Et ſi te ignorare nolo, noui quod ſcriberem, nihil me habuiſſe, ac potius fuiſſe iam in expectatione tuarum literarum: Theophilo tamen proficiſcenti ad te, ego, ne literarum nihil ut darem, committerem? Res tamen ipſa fert interdum, multiplices ut in epiſtolis formæ orationis exprimantur: rectæ, obliquæ, rotundæ, explicatæ, contortæ, confuſæ, diſtinctæ, ornatæ, neglectæ. Inter ea autem quæ lumina orationis, id eſt σχήματα uocantur, interrogatione creberrime figurari ſolet epiſtola: itemq; ſententijs & prouerbijs, nec non exclamationibus interdum, & reticentijs ſæpius,

pius, quæ omnia et in communi sermone crebro usurpari solere scimus. Atq; horum fuerit exempla assumere de Ciceronianis epistolis perfacile, & uobis conquirere utilius, quam nos suggerere uobis.

Cum quid narrabimus, ita exponemus, non ut poëtæ, qui ab ultimis, aut medijs sæpe ordiuntur, sed ipsam ut naturam rei atq; ordinem gestorum, aut in responsionibus filum sequamur, quo ille qui ad nos scripsit epistolam pertexuit suam. Quod & Cicero ait se quodam loco facturum, ut non instituat suam οἰκονομίαν, sed ordinem conseruet Attici, cui erat responsurus. Hoc tum maxime fieri conueniet, cum epistolæ non cotidianæ, neq; ueluti manes, ut sæpe ad amicos, scribuntur, sed plenæ argumento atq; sententia. Itaq; excusat ordinis perturbationem alibi Cicero, petens ab Attico, sibi ut assignet si perturbatior sit οἰκονομίαν, sequi enim se illum χειλάζοντα. Sed non tamen nunquam res postulat, ut ordo immutetur: quemadmodum & Cicero quadam in epistola, ad Atticum, se illi scribit responsurum ὑστερον πρότερον, id est ordine immutato, ὁμηρικῶς. Nec non, ut in colloquijs familiaribus, in quib. sermo fere deesse non potest, solent, aut debent etiam, quemadmodum Cicero ait, epistolæ interdum allucinari.

Planæ orationis sunt & colloquia, quibus res quasi retinentur in conspectu, ut non tanquam cursu suo præterueharntur minus animaduersæ. Ideo epistolis & hæc interdum inseri solent. Vt hoc: L. qui-

dem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim uenissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante quam me plane salutauit, o mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum uales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium ualerem, iam salui esse possemus, &c. Interdum est hæc quasi actio periucunda. Vt hæc: Venit ille ad me, καὶ μάλα κατηφής. Et ego, σὺ δ' σύννυς. Rogas, inquit, quod iter instet? Est iter ad bellum, idq; tum periculosum, tum etiam turpe. Quæ uis igitur? inquam. Aes alienum, & tum ne uiaticum quidem. Hoc loco ego sumsi quiddam de tua eloquentia, nam tacui, & ille: Sed me maxime angit auunculus. Quid nam? inquam. Quod mihi, inquit, iratus est. Cur pateris? inquam. Malo enim ita dicere, quam cur committis? Non patiar, inquit: caussam enim tollam. Rectißime quidem. Sed, si graue non est, uelim scire quid sit caussæ? Quia dum dubitabam quam ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem. Nunc nihil mihi tanti est. Faciam quod uolunt. Feliciter uelim, inquam, teq; laudo, sed quando? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probat. Ego, inquam, sentio priusquam proficiscaris, ita patri quoq; morem gesseris. Faciam, inquit, ut censes. Hic dialogus sic conclusus est.

Euidentia autem summa debet esse in expositionib. Ea sic maxime præstabitur, si neq; recidetur quicquam, neq; omittetur dicendorum, sed accurate omnia expli-

explicabuntur. Itaq; & nonnunquã idem dicetur iterum, & a repetendis ijs uerbis, quæ ante posita fuere, non abhorrebitur. Vt in his: Caninius idem tuus, & idem noster, cum ad me nuper uesperi uenisset, & se postridie mane ad te iturum esse dixisset, dixi ei me daturum aliquid mane, & ut peteret rogaui. Item in his: Num tu homo ridiculus es? qui cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras, quid de istis municipijs & agris futurum putem? quasi aut ego quicquam sciam quod iste nesciat: aut si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire, imo uero si me amas, tu fac ut sciam, quid de nobis futurum sit. Habuisti enim in tua potestate, ex quo, uel ex sobrio, uel certe ex ebrio scire posses. Item in epistola ad Att. lib. 2. Quod a me ita præcautum, atq; ita prouisum est. Talia sunt. Noui atq; scio: dico, edico: multos ei molestos fore, ipsumq; multis. Sed hæc iam orationem etiam figurant, de quo dicendum non putauimus in præsentia. Sed contra falsam opinionem de copia quorundam, hæc monere & exempla adducere uolui, de quibus cerni posit, quanto melius res in hac simplicitate, quantoq; clarius commemoretur. quam si uarietas quæsita fuisset. Ad euidentiam etiam eximium est, cum de attentione animi & cogitatione diligenti remouentur quibusdam interpositionibus omnia, quæ obstare intelligentiæ posse uideantur. Vt ille pastor apud Theocritum, cum se amicæ suæ allaturum promisisset,

ἢ χείνα λευκὰ,
ἢ μάκων' ἁπαλαὶ ἐρυθρὰ πλαταγώνι ἔχοισαν.

Recordatur mox se temere hæc coniunxisse, & ideo addit,

ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεθ', τὰ δὲ φύεται ἐν χειμῶνι,
ὥστ' ἐκ ἂν ἐν τοὶ ταῦτα φέρειν ἅμα πάντ' ἐδυνάμην.

Et Cicero: Victa est autoritas mea non tam a Pompeio, nam is mouebatur, quam ab ijs qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cupiditatibus suis belli uictoriam fore putabant. Item: *Accepi Roma sine epistola tua fasciculum literarum, in quo, si modo ualuisti, & Romæ fuisti, Philotimi duco esse culpam, non tuam.* Item: *Multum profeci, sed quantum, non plane, longe enim absum, scio.* Et rursum Attico: *Nondum legere poteramus, nam & lumina dimiseramus, nec satis lucebat: cum autem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis, prior mihi legi cœpta est.* Eidem: *In qua nihil aliud a consulari rogatione differebat, nisi iudicum genus, in eo autem erant omnia.* Item: *Tuus autem ille amicus, scin' quem dicam? de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare cœpisse.*

Erunt autem quæ scribentur, ita quoq; clara & perspicua, si ab usu quodam consuetudineq; ac more hominum communi non fuerint abducta. Nam insolita omnia, obscura sunt. Itaq; & uerbis atq; sententijs utemur notis atq; consuetis, ut sit (in quo &

Poëta

Poëta gloriatur) pura oratio, anxietas & cura superflua cum in uerbis reperiendis, tum collocandis aberit: neq; apparebit quasi tumor & elatio nimia sententiarum, sed sanitas conseruabitur orationis. Deniq; loquentur epistolæ pure, cum humanitatis sparsæ sale, tum insignes amoris notis: Vt Cicero quandam Attici laudat: Ita etiam legentur nostra scripta minus suspicioſe, cum nemo simpliciter scriptis ne circumueniatur, metuet. Nisi forte res tulerit, & is sit ille cui scribimus, ut callidæ, aut fortes, uel etiam audaces literæ mitti debere uideantur: id quod ad uniuersum genus non pertinet. Omnino autem diligenter meminerimus, non solum quoddam genus, seu χαρακτῆρα orationis peculiarem epistolis, sed res quoque & argumenta certa esse illarum propria. Itaq; illæ disputationes de natura & moribus, & tota philosophia, non sunt epistolæ putandæ, quanquam salus præscripta fuerit, sed libri. Nec magis Senecæ scripta epistolæ possunt uideri, quod ad Lucilium missæ sint cum præfatione amoris, quam Ciceronis de Officijs liber, similiter ad filium datus: & Plutarchi multa aliquib. inscripta opuscula. Quamuis & hæc interdum incidunt ut epistolis includantur, sed aliena tamen res est a toto genere, itaq; caute & prudenter tractabitur, etiam tum, cum necesse fuerit.

Ratiocinationes, quæ frequenter se offerunt, ut a communi & propemodum uulgari captu non debebunt abhorrere, ita erunt firmæ & certæ, atque

etiam profecto elaboratæ. Sumtiones autem maxime decent epistolas, quæ & in Cicerone frequentantur: sed minus quasi artificiosæ disponentur. Sumtiones uoco, quæ λήμματα Græci, quæ in ratiocinationibus assumuntur, siue per se, siue subiectis probationibus, hæ in partitionibus sunt insignes: in quibus omittere aliquid, uitiosissimum. Sed de his alias fortasse copiosius.

In epistolis pulcerrima est illa moderatio, qua fit ut contumaciæ atq; etiam arrogantiæ & ἀκοινωνησίας, deniq; rusticitatis & impotentiæ animi, uel etiam stulticiæ suspicio omnis amoueatur. Et ideo asseuerationibus, nisi cum necesse erit, non facile utemur, quod ipsum etiam periculo non caret, quare in certissimis etiam, aliquando dubitationes usurpasse ueteres reperiuntur. Et sunt formulæ harum apud illos crebræ: ut puto, ut opinor, uidetur, existimo, spero, fertur, si memini. In quo ita fuit considerans Romana consuetudo, ut cum a iuratis dicerentur pro testimonio ea quæ comperta haberent, quæ ipsi uidissent, non scire tamen, sed arbitrari se dicerent. Talia sunt Ciceroniana hæc: Pace tua dixerim, non enim possum aliter dicere, ut uere dicam, ut populi sermo est, ut mihi scribitur, quantũ coniectura auguramur, ut opinio & spes & coniectura nostra fert, quoniam placet, nescio an, & haud scio an, nisi fallor, mihi quidem ut uisum est: & alia similia, quæ obseruare diligenter, & notare, sicubi occurrerint debebitis.

Hoc

Hoc loco monere uisum, nos adhuc quæ diximus, de ueritate & integritate scriptionis & literarum Latinarum dixisse: ad quam respicere & referre omnes suas cogitationes ipsos etiam pueros, quantumcunq; possint intelligere, uelimus: & quos ad hoc assuefaciendos a magistris oportere censeamus. Neq; mihi obstat consideratio hac in parte multorum, quæ nostris temporibus atq; morib. & in gente sua cuiusq; abhorrentia & aliena a Latinitate, hoc est, ab eruditione, doctrina, humanitate, esse scimus. Nam quam longe paucis annis a barbaria, & uerborum, & sententiarum, hoc maxime genus scriptionũ abductum, & quam elegans redditum sit, uidemus. Et ideo spes esse potest, si anniti sedulo eruditi uoluerint, quandam perfectionem illud adepturum esse. Tum uero in pueris, si quid feciſſe audacius forte existimabuntur, facile ueniam inuenerit, ut nulla ratione ad aliquid illi uitiosum sint instruendi. In uita autẽ cum multa soleat non in literis tantummodo & sermone, sed moribus etiam & actionibus extorquere non uera, neq; laudabilia, ut uidentur, nostrum seculum: patiemur in illis indulgentes erroribus hominum, scientes & uolentes, quasi labi adultos: ut maiestates, & dominationes, & gratias, & excellentias, & similia, hominum appellationes faciant: ut unum tanquam multos honoris causſa affari uelint, ut chartam titulis & ornamentorum uel etiam conditionum nominibus onerent: ut salutationes mirificas, itemq; ualedictiones singulares

res exquirant. A talibus enim uix sine opinione interdum contumeliæ eorum ad quos literæ mittuntur, abstineri potest.

Nunc enim undiq; tituli colligi solent, & in horum cum coaceruatione, tum collocatione qui scite uersatus fuerit, eum pro luculentissimo scriptore habent, In qua parte concedi nobis posse existimo, si ignari scientiæ illius & memorandi, & disponendi titulos, eam præscribamus sententiam, qua quondam in uotorum nuncupatione usi perhibentur, ut, cum deos nominatim inuocassent, ne cuius alia quam ipse fortasse uellet mentio inter sacra fieret, notis usitatisq; nominibus dictis, hoc solenne adderent, QVOQVE NOMINE QVOQVE COGNOMINE SESE APPELLARI QVISQVE MAXIME VVLT AC GAVDET. *Quapropter expositis ijs titulis quos nouerimus, & putauerimus referendos, ne turpiter ignorasse scilicet plures, aut meritam laudem maligne reticuisse uideamur, adijciamus hoc sane,* ET QVICQVID VOCARI DICIQVE PRAETEREA VVLT AC DEBET. *Sed hæc ridicula alicui esse uideantur. Quare in præsentia hoc genus extra scholas ne educamus, praua enim & uiciosa ne perdiscantur, non est periculum. Neq; tamen munerum, functionum, conditionum, curationum, honorum, naturæ, sæpeq; ætatum & sexuum etiam omittenda uocabula: quemadmodum ne salutis quidem præscriptio, more priscorum, ut huiusmodi, Amasis Polycrati hæc mandat.*

mandat. Sed sic potius: M. T. Cicero proconſ. M. Cœlio tribuno plebis. Ita præfectum nos, & Senatorem, & architectum, & ſcribam, & quæſtorem, equitem, patrem, ſenem, uirginem, aſcribere poterimus. Etiam interdum obſequentes præſentibus moribus, ſed & Latinæ linguæ exemplo, adiectis pluribus uerbis, ſignificantibus uoluntatem noſtram: ut optimo, ſummo, ſuauiſſimo, &c.

Initia Latinarum epiſtolarum habent ſalutis præſcriptionem, hoc modo: M. T. Cicero Procons. M. Cælio Tr. pl. S. D. Clauſulæ autem ſunt, Vale, Cura ut ualeas. Sunt & ſalutationum formulæ, Saluere iubeo, & aliæ, quibus & ipſis in epiſtolis liceat uti, ſi cui omnino placuerit. Adijci iudicium temporis quoq; ſolet ad calcem epiſtolæ, quo illa ſcripta dataq; fuerit: idq; cognoſci, ſæpe intereſt & ſcribentis, & eius cui mittitur. Hoc Romana conſuetudine menſem habet, & diem, atq; conſulem, id eſt, annum, hoc modo: VI. Calend. Decembris, M. Meſſala & M. Piſone Coss. Quorum priora duo retinere, neq; nimis inuſitatum, & perbellum fuerit. Doctiores, & qui a Græcis χαρίεντες uocantur, hac parte ludere conſueuere, ut perſcribant de aliqua inſigni hiſtoria tempus, aut caſu aliquo noto. Vt, Tertio die poſtquam a te diſceſſi, natali noſtro: & apud Ciceronem, Att. libro ſexto: Poſt pugnam Leuctricam die ſeptingenteſimo ſexageſimoquinto. Quod tamen tempus, ut ingenue fatear, quale ſit non uideo, deq; hoc

loco

loco quærendum censeo. Tale fuerit, notatio eruditior illa quidem, τῶν ὡρῶν, quemadmodum Græci appellant, ut orientis pleiadis aut caniculæ, uel certior hæc, ingredientis solis in signa uerna, æstiua, brumalia. Ascribitur & locus, ut Romæ, Athenis: de quo tamen nondum conuenit inter Grammaticos, Romæ ne an Roma uerius sit. Cum sane Romæ datas, & Roma missas literas, euidens sit.

Græcæ autem salutationes sunt, χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὖ πράττειν, εὖ διάγειν, illa enim singularis est Pherecydæ, εὖ θυήσκοις ὀταῦλοι χρεὰν ἦκοι, scribentis Thaleti.

Et ualedictiones, ἔρρωσο, εὐτύχει, & εὐτυχεῖτε. Quorum usitatissima, χαίρειν, & ἔρρωσο. Neque uerum est, illo primum Cleona in uictoria superbientem usum, cum Lacædemonios uicisset: neq; idem tum a Platone repudiatur, de quo alias.

De breuitate autem, uel copia res monebit, neq; præcepta tradenda sunt. Prolixa tamen admodum oratio, non sæpe ut usurpanda sit, acciderit, neq; affectanda erit unquam. Non dubium tamen est, quin, ut supra quoq; diximus, & res & persona epistolam attollere & quasi exaggerare debeat, ut sit grauior, ornatior, & (ut ita loquar) superbior. Verbis autem notis utendum, non est cur iterum inculcemus. Nam quomodo erit sermo cotidianus in uerborum obscuritate? Itaq; & Græca non inseremus, nisi ijs forte scribamus, qui illius linguæ non sint imperiti. Si quis autem nunc etiam quærit, quem cotidianum sermonem

nem uocem, is scire debet, non abiectum, neq; humilem & sordidum quendam nos sentire sermonem: talis enim stridor potius fuerit, quã sermo, non loquentium hominum, sed quasi bestiarum suos sonos edentium. Sed nos significamus Latinum, de hoc enim instituta oratio est, usitatum, simplicem, purum, cuiusmodi apud Plautum & Terentium reperimus. Plautina ne igitur illa, dixerit aliquis, & pleraq; Terentiana quoq; cotidiana sunt, quæ etiam paulo posterior antiquitas refugit? Facile id quidem iudicatu est, etsi nobis fortasse quædam minus fastidiose respuenda. Sed de hoc alias copiosius. Nunc uel de illis autoribus solis perdisci & cognosci quasi uernaculum quoddam Latinitatis posse, credi nobis postulamus, & diligenter atq; assiduo hos pueris explicari optimum esse, sic tamen ut ad Ciceroniana quoq; adducantur, quem unum autorem statim teneris etiam mentibus & sensibus ad imitandum proponi oportebit. Sed ad rem. Græca quidem admisceri Latinis, non solum ornat epistolam, cum fit scite atque erudite, sed etiam prodest ad illa, ut Cicero uocat, mysteria, id est arcana, tegenda & occulenda. Sæpe enim filo quodam, ut ita dicam, quasi intricatiore pertexi epistola solet, id est, αἰνίγμασι & ἀλληγορίαις implicari ea, quæ in aliorum manus uel cum nostro, uel eius cui mittuntur periculo peruentura essent. De hac re Cicero ostendit quid fieri oporteret, cum sic Attico scripsit: Posthac ad te, si aut perfi-

delem

delem habebo cui dem, scribam omnia plane: aut si obscure scribam, tu tamen intelliges. In his epistolis me Lælium, te Furium faciam, cætera erunt ἐν αἰνίγμασιν. Et postea: Quod scripseram te Furium scripturum, nil necesse est tuum nomen mutare: me faciam Lælium, & te Atticum: neq; utar meo chirographo, neque signo, si modo erunt eiusmodi literæ, quas in alienum incidere nolim, &c. Est enim horum temporum nequaquam ea humanitas, familiariter scriptas literas ab amicis, si forte postea simultas intercesserit, proferri ut improbum, aut saltem reprehendendum esse credatur. Verum hæc ad puerilem exercitationem non pertinent: & sane ut uideo, abduximus disputatiunculam nostram multo longius quam oportuerit. Vt igitur tandem finiam, & tractatum hunc concludam, nihil generatim de epistolarum forma seu charactere, totaq; ratione tradi melius neq; utilius posse puto, quam quod Cicero in Orat. de genere illo dicendi humili præcepit: quem locum subijcere uisum.

Ac primum informandus est ille nobis, quem solum quidam uocant Atticum. Summissus est & humilis, consuetudinem imitans, ab indisertis re plus quam opinione differens. Itaq; eum qui audiũt, quamuis ipsi infantes sint, tamen illo modo confidunt se posse dicere. Nam orationis subtilitas imitabilis quidem illa uidetur existimanti, sed nihil est experienti minus. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat

tamen

tamen ſuccum aliquem oportet, ut etiamſi illis maximis uiribus careat, ſit, ut ita dicam, integra ualetudine. Primum igitur eum tanquam e uinculis numerorum eximamus. Sunt enim quidam, ut ſcis, oratorij numeri, de quibus mox agemus, obſeruandi ratione quadam, ſed alio in genere orationis, in hoc omnino relinquendi, ſolutum quiddam ſit, nec uagum tamen: ut ingredi libere, non ut licenter uideatur errare. Verba etiam uerbis quaſi coagmentare negligat. Habet enim ille tanquam hiatus concurſu uocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam, de re hominis magis quam de uerbis laborantis. Sed erit uidendum de reliquis, cum hæc duo ei liberiora fuerint, circuitus conglutinatioq; uerborum. Illa enim ipſa contracta & minuta, non negligenter tractanda ſunt: ſed quædam etiam negligentia eſt diligens. Nam ut mulieres eſſe dicuntur nonnullæ imornatæ, quas id ipſum deceat, ſic hæc ſubtilis oratio etiam incomta delectat. Fit enim quiddam in utroq;, quo ſit uenuſtius, ſed non ut appareat. Tum remouebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, ne calamiſtri quidem adhibebuntur, fucati uero medicamenta candoris & ruboris, omnia repellentur, elegantia modo & mundicia remanebit. Sermo purus erit, & Latinus dilucide planeq; dicetur, quid deceat circunſpicietur. Vnum aderit, quod quartum numerat Theophraſtus in orationis laudibus, ornamentum illud ſuaue & affluens, acutæ cre-

bræq; ſententiæ ponentur, & neſcio unde ex abdito erutæ, atq; in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit uſus oratoriæ quaſi ſupellectilis. Supellex eſt enim quodammodo noſtra, quæ eſt in ornamentis alia rerum, alia uerborum. Ornatus autem uerborum duplex, unus ſimplicium, alter collocatorũ. Simplex probatur in proprijs uſitatiſq; uerbis, quod aut optime ſonat, aut rem maxime explanat. In alienis aut translatum, aut factum aliunde, ut mutuo, aut factum ab ipſo: aut nouum, aut priſcum & inuſitatum. Sed etiam inuſitata ac priſca ſunt in proprijs, niſi quod raro utimur. Collocata autem uerba habent ornatum, ſi aliquid concinnitatis efficiunt, quod uerbis mutatis non maneat, manente ſententia. Nam ſententiarum ornamenta, quæ permaneant, etiamſi uerba mutaueris, ſunt illa quidem permulta: ſed quæ emineant pauciora. Ergo ille tenuis orator, modo ſit elegans, nec in faciendis uerbis erit audax, & in transferendis uerecundus & parcus, & in priſcis reliquiſq; ornamentis & uerborum & ſententiarum demiſſior, translatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſs. ſermo omnis utitur, non modo urbanorum, ſed etiam ruſticorum, ſi quidem eſt eorum, gemmare uites, ſitire agros, lætas eſſe ſegetes, luxurioſa frumenta. Nihil horum parum audacter, ſed aut ſimile eſt illi unde transferas, aut ſi res nullum ſuum habet nomen, docendi cauſſa ſumtum, non ludendi uidetur. Hoc ornamento liberius paulo quam cæteris utetur hic ſummiſſus, nec

tam

tam licenter tamen, quam si genere dicendi uteretur amplißimo. Itaq; illud indecorum, quod quale sit ex decoro debet intelligi, hic quoq; apparet, cum uerbum aliquod altius transfertur, idq; in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam autem concinnitatem, quæ uerborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci quasi aliquos gestus orationis σχήματα appellant, quod idem uerbum ab his etiam in sententiarum ornamenta transfertur, adhibet quidem hic subtilis, quem nisi quod solum, cæteroquin recte quidam uocant Atticum, sed paulo parcius. Nam si ut in epularum apparatu a magnificentia recedens, non se parcum solum, sed etiam elegantem uideri uolet, eliget quibus utatur. Sunt enim pleræq; aptæ, eius ipsius oratoris, de quo loquor, parsimoniæ. Nam illa, de quibus ante dixi, huic acuto fugienda sunt. Paria paribus relata, & similiter concluſa, eodemq; pacto cadentia, & immutatione literæ quasi quæsitæ uenustates, nec elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifesto deprehensum appareat. Itemq; si quæ uerborum iterationes contentionem aliquam & clamorem requirent, erunt ab hac summißione orationis alienæ, cæteris promiscue poterit uti, continuatione uerborum, modo relaxet & diuidat, utaturq; uerbis quam usitatißimis, translationibus quam mollissimis. Etiam illa sententiarum lumina assumat, quæ non erunt uehementer illustria Non faciet remp.

loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec de ceruatim multa frequentans una complexione deuincict. Valentiorum hæc laterum sunt: nec ab hoc quem informamus, aut expectanda, aut postulanda. Erit enim, ut uoce, sic etiam oratione suppressior. Sed pleriq; ex illis conuenient etiam huic tenuitati, quanquam ijsdem ornamentis utetur horridius: talem enim inducimus.

Sed nunc, etsi exempla epistolarum undiq; plurima suppetunt, tamen & nos quædam adducamus.

Athenæus lib. VII. epistolam exponit Menecratis, qui in quadam intolerabili superbia, cum se medicinæ principem esse arbitraretur, Iuppiter nominari uoluerit, talem: Menecrates Iuppiter, Philippo salutem. Tu quidem Macedoniæ regnum obtines, ego uero Medicinæ. Tibiq;, cum uolueris, in manu est beneualentes interficere: at mihi infirmos sanare, & ualidis, si pareant mihi, sanitatem usq; ad senectam conseruare. Ego enim illis Iuppiter uitam largior. Huic rescripsisse idem autor narrat Philippum, hoc modo: Philippus Menecrati salutem.

Id Græce dicitur festiuius, ὑγιαίνειν. Significare enim uoluit, desipere illum medicum, id est, μαίνεσθαι. Hæc autem quis non uidet, cum ineptias, tum lusum quosdam scriptionum esse? Sicut & illam in Macrobio ad Mecœnatem Augusti epistolam. At Laconicæ quædam extant, sane elegantes & graues. Vt in primo lib. Xenoph. historiæ Græcorum:

ἔρρει

ἔῤῥει τὰ καλὰ. πίνδαρος ἀπέσσυται. πεινῶντι τῶνδρες. ἀπορέομες, τὶ χρὴ δραῦ.

Quæ Latine nemo expresserit, sed interpretari ita liceat: Ruit felicitas. Mindaros occubuit. Copiæ esuriunt. Quid faciendum si non reperimus. Agesilai est uerbosior apud Plutarchum.

Τὰν πολλὰν τῆς ἀσίας κατεστρεψάμεθα, καὶ τὼς βαρβάρως ἐλάσαμες, καὶ ἐν τὰ ἰωνίᾳ ὅπλα ἐποιήσαμες πολλὰ, ἐπειδὴ κέλεσθαί με κατὰ τὰν προθεσμίαν παραγίνεσθαι, ἕπομαι τᾷ ἐπιστολᾷ, σχεδὸν δ' αὐτὰν καὶ φθάσω. ἄρχω γὰρ ἐκ ἐμαυτῷ ἀρχάν, ἀλλὰ τᾷ πόλει καὶ τοῖς συμμάχοις καὶ τότε ἄρχων ἄρχει ἀλαθέως κατὰ δίκαν, ὅταν καὶ ἄρχηται ὑπότε νόμων καὶ ἐφόρων, καὶ οἷοι ἂν ἄλλοι ἐν πόλει ἄρχοντες ὦσι.

Magnam partem Asiæ subegimus, & barbaros reiecimus, & in Ionia multa prælia fecimus. Quia tamen ad præfinitum me diem adesse iubetis, sequor epistolam, ac fortasse illam etiam anteuertam. Nam imperium non mihi gero, sed patriæ & socijs. Tumq; is qui cum imperio est, uere iustum imperium tenet, cum & imperare sibi leges & Ephoros, aut quoscunque alios in ciuitate superiores se patitur. Sed illi Græcæ superiori difficultate in quadam & ipsa similis breuitatis, & quasi πυκνότητος, Pompeiana est relata in librum 8. epistolarũ ad Atticum. Cn. Pomp. procons. M. T. Cicer. Imper. S. D. Qu. Fabius ad me uenit ad IIII. Id. Febr. Is nunciat L. Domitium cum suis cohortibus XIIII. quas Vibullius adduxit, ad me iter habere, habuisse in animo pro-

ficisci Corfinio, & ad V. Id. Febr. C. Hircium cum V. cohortibus subsequi. Censeo ad nos Luceriam uenias, nam te hic tutissime puto fore. Vale.

Est & illa Lentuli singularis, in metu infidelitatis, aut fortunæ aduersæ, suppresso nomine: quæ apud Sallustium extat, & de qua Cicero ita: Vulturtius uero subito proferri literas atq; aperiri iussit, quas sibi a Lentulo ad Catilinam datas esse dicebat. Atq; ibi uehementissime perturbatus Lentulus, tamen signum & manum cognouit. Erant autem scriptæ sine nomine, sed ita: Qui sim, ex eo quem ad te misi cognosces. Cura ut uir sis, & cogita quem in locum sis progressus, & uide quid iam tibi sit necesse. Cura ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.

In quo quidem parum sibi Lentulus cauit, cum nomen non posuit, & signo tamen suo suaq; manu usus fuit. Memoratur & a Demetrio, cuius Rhetorica scripta extant optima & præclarissima. Non quidem Phalereus ille antiquus fuit, quem Cicero ualde laudat, sed posterior alius, quippe qui Phalerei illius scriptorum testimonijs ipse utatur. Falso igitur quidam monumentum hoc ueteris esse Phalerei tradidere. Sed ab hoc memoratur in perturbatione animi breuis epistola a quodam composita, qui ab ea quam conseruatam a se amare cœperat, repudiatus, cum mori decreuisset, ita illi prius scripserit:

ἐγω μὴ σὲ ἔσωσα, καὶ σὺ μὴ δι' ἐμὲ ἐσώθης,
ἐγω δὲ διὰ σὲ ἀπωλόμην.

Te ego

Te ego seruaui, & tu mihi uitam debes: ego uero a te extinctus sum. Sunt & Plautinæ, quas recensere uisum. Amatoria in Pseudolo:

Phœnicium Calidoro amatori suo,
Per ceram & linum literasq; interpretes
Salutem mittit, & salutem abs te expetit
Lacrimans, titubanti animo, corde & pectore.
Leno me peregre militi Macedonico
Minis uiginti uendidit, uoluptas mea:
Et prius quam hinc abijt, quindecim miles minas
Dederat, nunc unæ quinq; remorantur minæ.
Ea caussa miles hic reliquit symbolum,
Expressam in cera ex annulo suam imaginem,
Vt qui huc afferret eius similem symbolum,
Cum eo simul me mitteret. Ei rei dies
Hæc præstituta est proxima Dionysia.
Nunc nostri amores, mores, consuetudines,
Iocus, ludus, sermo, suauis suauiatio,
Harum uoluptatum mihi omnium, atq; itidem tibi
Distractio, dissidium, uastities uenit,
Nisi quæ mihi in te est, aut tibi est in me salus.
Hæc quæ ego sciui, ut scires curaui omnia.
Nunc ego te experiar quid ames, quid simules.
Vale.

In Bacchidibus dictat epistolam Trochaicis uersib. seruulus, quam scribit adolescens hoc modo. Iubet primum scribere salutem patri uerbis suis, ita: Mineſilochus salutem dicit suo patri.

Tum cito ascribere hoc:
Chrysalus mihi usq; quaq; loquitur, nec recte pater,
Quia tibi aurum reddidi, & quia non te defraudauerim.
Iubet addere,
—— Nunc pater mi proin tu ab eo ut caueas tibi,
Sycophantias componit, aurum ut abs te dauferat.
Et profecto se ablaturum dixit. ——
Post hæc dictat porro,
—— Atq; id se pollicetur se daturum aurum mihi,
Quod dem scortis, quodq; in lustris congræcē pater.
Sed pater mi, ne tibi hodie uerba det, quæso, caue.
Sed pater quod promisisti mihi, id quæso ut memineris,
Ne illum uerberes: uerum apud te uinctum asseruato domi.

Et alia postea uersibus senarijs ponitur in eadem fabula:
Pater ducentos Philippos, quæso, Chrysalo
Da, si esse saluum uis me, aut uitalem tibi.

De industria autem salus omissa, ut magna in perturbatione illa epistola scripta esse uideatur.

Sed eam ita prosequitur:
Pudet prodire me ad te in conspectum pater,
Tantum flagitium te scire audiui meum,
Quod cum peregrini cubui uxore militis.
Stulte fecisse fateor. Sed quæso pater,
Ne me in stulticia, si deliqui, deseras.

Ego

Ego animo cupido, atq; oculis indomitis fui.
Persuasum est facere, cuius nunc facti pudet.
Quæso ut sat habeas id pater, quod Chrysalus
Obiurgauit me plurimis uerbis malis,
Et me meliorem fecit præceptis suis,
Vt te ei habere gratiam æquum sit bonam.
Nunc si me fas est obsecrare abs te pater.
Da mihi ducentos numos Philippos, te obsecro.
Ego iusiurandum uerbis conceptis dedi,
Daturum id me hodie mulieri ante uesperam,
Priusquam a me abiret, nunc pater ne peierem
Cura, atq; abduce me hinc ab hac quantum potest,
Quam propter tantum damni feci & flagitij.
Caue tibi ducenti numi diuidiæ fuant,
Sexcenta tanta reddam, si uiuo, tibi.
Vale, atq; hæc cura. --

In Persa hæc ponitur:

Salutem dicit Toxilo Timarchides,
Et familiæ omni: Si ualetis, gaudeo.
Ego ualeo recte, & rem gero, & facio lucrum,
Neq; isto redire his octo possum mensibus,
Ita hic est quod me detinet negocium.
Elesipolin Persæ cepere urbem in Arabia,
Plenam bonarum rerum, atq; antiquum oppidum.
Ea comparatur præda, ut fiat auctio
Publicitus ea res me domo expertem facit.
Operam atq; hospitium ego isti præberi uolo,
Qui tibi tabellas affert, cura quæ is uolet.

Nam is mihi honores suæ domi habuit maximos.
Iste qui tabellas affert, adduxit simul
Forma expetenda, liberalem mulierem,
Furtiuam, aduectam ex Arabia penitissima.
Eam uolo te accurare ut istic ueneat,
Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur.
Mancipio neq; promittet, neq; quisquam dabit.
Probum & numeratum argentum ut accipiat face.
Hæc cura, & hospes cura ut curetur: Vale.

Ex his apparet, quamuis præscripta esset salus, tamen addere ueteres solitos, Si uales, bene est, aut gaudeo, &c. cum quibusdam placuerit de epistolis huius formæ, quæ in Ciceronis leguntur, Salutem non præponere, cuius loco hoc esset, S. V. B. E. In qua fuit nos etiam cum sententia essemus. Sed deceptos nos esse, manifeste potest intelligi de hoc loco. Ideo autem etiam placuit has quasi formulas Plautinarum epistolarum recensere, quod omnium ferè quæ ad compositionem epistolarum pertinent exempla inesse, & secundum hæc uarie perscribi illas posse animaduerterim. Valde est autem studiosis iucundum, & maximam affert uoluptatem, si non solum existiment aliquid a se recte in literis factum, sed sciant etiam similia in ueterum scriptis reperiri, eaq; notata & obseruata habeant. Addam igitur & de Curculione militarem epistolam.

Miles Lyconi in Epidauro hospiti suo
Therapontigonus Platagidorus plurimam

Salutem

Salutem dicit. —
Tecum oro & quæso, qui has tabellas afferet
Tibi, ut ei detur quam ísthic emi uirginem:
Quod te præsente isti egi, teq; interprete,
Et aurum, & uestem, iam scis, ut conuenerit,
Argentum des lenoni, huic des uirginem.

Itemq; alteram etiam magis Thrasonicam, de Pseudolo:
Miles Lenoni Ballioni epistolam
Conscriptam mittit, Polymachæro Placidas
Imaginem obsignatam, quæ inter nos duo
Conuenit olim. —
Harpax calator meus est, ad te qui uenit,
Qui epistolam istam fert, ab eo argentum accipe, &
Cum eo simitu mulierem mitti uolo.
Salutem scriptam dignum est dignis mittere.
Te si arbitrarer dignum, misissem tibi.

Nostra, etsi initio statueramus, hoc etiam ad caput exempla applicare, tamen nunc mutato consilio faciendum hoc non putauimus. Quare ueterum adhuc unam aut alteram exponamus. Perelegans Augusti refertur a Gellio lib. XV. cap. VII. Et Cicero transtulit Anacharsidos epistolam lib. V. Tusc. Anacharsis Hannoni salutem: Mihi amictui est Scythicum tegmen, calciamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames, lacte, caseo, carne uescor. Quare ut ad quietum me licet uenias. Munera autem

ista,

ista, quibus es delectatus, uel ciuibus tuis, uel dis immortalibus dona. Græca sic reperimus:

ἀνάχαρσις ἄννωνι. ἐμοὶ μὲν περίβλημα χλαῖνα σκυθικὴ, ὑπόδημα δέρμα ποδῶν, κοίτη δὲ πᾶσα γῆ. δεῖπνον καὶ ἄριστον, γάλα καὶ τύρος, καὶ κρέας ὀπτὸν. πιεῖν ὕδωρ. ὡς οὖν ἄγοντός μου σχολὴν ὧν οἱ πλεῖστοι ἕνεκεν ἀσχολῶνται, παραγενοῦ πρός με, εἴ τινά μου χρείαν ἔχεις. δῶρα δ' οἷς ἐντρυφᾶτε, ἀντιδωροῦμαίσοι. ὑμεῖς δὲ ὅσοι καρχηδονίων εἰς χάριν εἰσὶν, ἀνέθεσθε θεοῖς.

Altera est in libro 2. Finium: Epicurus Hermacho salutem: Cum ageremus, inquit, uitæ beatum, & eundem supremum diem, scribebamus hæc: Tanti autem morbi aderant uesicæ & uiscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere, compensabatur tamen cum his omnibus animi læticia, quam capiebam memoria rationum inuentorumq; nostrorum. Sed tu, ut dignum est tua erga me & erga philosophiam uoluntate ab adolescentulo suscepta, fac ut Metrodori tueare liberos.

Sed iam tandem ad alia, quæ ad exercendum stilum, & incitandum in hoc curriculo studium uestrum, proponere uisum: Ad ea igitur peragenda progrediamur.

DE COMPARATIONIBVS.

Comparationem Græci σύγκρισιν *uocant, cum duæ plures ue res aut personæ inter se conferuntur,*

runtur, ut potior & præstantior magis emineat. Huius est usus ad amplificationes laudis aut uituperationis. Nobis autem placuit in hoc caput etiam eam quæ παραβολὴ dicitur, atq; inter ornamenta orationis a Rhetoribus exponitur, includere. Mirificam enim habet non modo stili, sed etiam animi, & cogitationum exercitationem hoc studium similitudinis conciliandæ & applicandæ.

Primum igitur proponentur pueris insignes similitudines, maxime quidem de ueterum scriptis acceptæ, sed & interdum repertæ a nobis. Hæ erunt uariarum rerum & diuersimodi, quibus constitutis, iubebuntur illi addere, quæ cum his conferenda, & proposita similitudine explicanda uideantur. Iubebuntur & ipsi diligenter in ueterum scriptis has obseruare, & immutare, & ad alias atq; alias traducere. Loquor autem nunc de eo genere parabolarũ, in quib. aliqua est similitudine proposita collatio, uel similitudini reddita comparatio, Græcis ἀντιπόδοσις dicitur, Vt,

Indum sanguineo ueluti uiolauerit ostro
Si quis ebur, uel mista rubent ubi lilia multa
Alba rosa, tales uirgo dabat ore colores.

Tristium item lib. 1.

Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

Item hoc Propertij,

Ac

Ac ueluti folia arentes liquere corollas,
Quæ paßim calathis strata natare uides:
Sic nobis qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

Et hoc Ciceronis pro Roscio:

Vt ignis in aquam coniectus, continuo restinguitur & refrigeratur: sic referuens falsum crimen, in purißimam & castißimam uitam collatum, statim concidit & extinguitur. Talium igitur parabolarum, quarum est nimia pene in Plutarchi scriptis copia, & extant ab Erasmo collectæ plurimæ & elegantißimæ, harum igitur præcipua quædam exempla proponentur pueris, & ipsi inuenire atq; excogitare iubebuntur, quæ ad datas similitudines conferant, ut mox demonstrabimus copiosius. Postea & de historijs cum personas, tum loca, itemq; res & negocia, conferre inter se atque comparare debebunt. In omnibus autem comparationibus cauendum, ne uel plane abhorrentia inter se, uel nimium dißimilia conferamus, nam tales comparationes ridiculæ esse solent, ut ille ait,

Sic catulos canibus similes, sic matribus hœdos
Noram, sic paruis componere magna solebam.

Etsi interdum extollendæ rei gratia similitudine utuntur remotiore, sed tunc quemadmodum metaphoræ, sic parabolæ quoque, ut Græci loquuntur, προεπιπλήσσειν rectum fuerit, ut Ouidius fecit,

Si li-

Si licet exemplis in paruo grandibus uti,
Hæc facies Troiæ, cum caperetur, erat.
Et Thucyd. confert Lacedæmoniorum cladem ad Pylum, cum accepta quondam in Thermopylis.
Verum hæc iam τῶν χρειάτων tractatio fuerit, ut & Virgilianum illud de apibus,

Ac ueluti lentis Cyclopes fulmina maßis
Cum properant, alij taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntq;. alij stridentia tingunt.
Aera lacu, gemit impositis incudibus Aetna,
Illi inter sese magna ui brachia tollunt
In numerum, uersantq; tenaci forcipe ferrum.
Non aliter, si parua licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urget habendi.

In ioco tamen, & ueluti lusibus quibusdam ingenij, tales etiam eleganter fiunt a poëtis, & a nobis eodem quidem in proposito interdum sunt componendæ, non enim continent uulgarem, neq; illiberalem ingenij exercitationem, ut illa Plautina,

Atridæ duo fratres eluent fecisse facinus maximum,
Cum Priami patriam Pergamũ diuina mœnitũ manu
Armis, equis, exercitu, atq; eximijs bellatoribus,
Millenum numero nauium decimo anno post subegerint.
Sed illud nihil fuisse Seruulus dicit, præ suis rebus,
Qui sine armis & exercitu, sineq; classe, herum sit expugnaturus suum.

Sæpe

Sæpe ad amplificationes ὑπερβολικῶς, seu παραδόξως parabolæ assumuntur, maxime apud poëtas, ut Ouidiana:

Meq; tot aduersis cumulat, quot littus arenas,
Quotq; fretum pisces, ouaq; piscis habet.
Vere prius flores, æstu numerabis aristas,
Poma per autumnum, frigoribusq; niues:
Quam mala, quæ patior toto iactatus in orbe,
Dum miser, Euxini littora sæua peto. Item:
Vt Venus artificis labor est, & gloria Coi,
Aequoreo madidas quæ premit imbre comas:
Arcis ut Acteæ uel eburna uel ærea custos,
Bellica Phidiaca stat dea facta manu:
Vendicat ut Calais laudem quos fecit equorum,
Vt similis ueræ uacca Myronis opus:
Sic ego sum rerum non ultima Sexte tuarum,
Tutelæq; feror munus opusq; tuæ.

Virgilius de apibus:

Tum sonus auditur grauior, tractimq; susurrant,
Frigidus ut quondam syluis immurmurat Auster,
Vt mare sollicitum stridet refluentibus undis,
Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis.

Item in Menæchmis:

— Nimio ego hanc periculo
Surripui hodie, meo animo ab Hippolyta succingulum.
Haud Hercules æque magno unquam abstulit periculo.

Et

Et similia multa, præsertim in uulgarib. iocis fieri solent. Tristium lib. 1. copiosius eadē in 4. de Ponto, est Vlyßis cum suis malis ab Ouid. tractata comparatio.

Sed hæc iam a parabolis recedunt, & συγκρίσεων exempla sunt. De parabolis autem hoc tenendū, cum similitudines insignes esse debere præceperimus, fugiendas in præsentia & hoc proposito, atq; suo cū tempori, tum studio reseruandas illas, quæ propter historiam aut fabulam non sunt illustres, neq; euidentes. Vt Ouidianum hoc, de Ponto lib. III. ad Ruffum:

Nanq; quod Hermionæ Castor fuit, Hector Iulo,
Hoc ego te lætor coniugis esse meæ.
Significat enim, illum esse auunculum uxoris suæ.

Talia sunt Virgiliana, lib. X.

At uero ingentem quatiens Mezentius hastam,
Turbidus ingreditur campo, quam magnus Orion
Cum pedes incedit medij per maxima Nerei
Stagna uiam scindens, humero supereminet undas,
Aut summis referens annosam montibus Ornum,
Ingrediturq; solo, & caput inter nubila condit.

Itemq; lib. IX.

Qualis in Euboico Baiarum littore quondam,
Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Constructam iaciunt ponto: sic illa ruinam
Prona trahit, penituſq; uadis illisa recumbit,
Miscent se maria, & nigræ attolluntur arenæ.
Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile
Inarime Iouis imperijs imposta Typhœo.

Exemplum autem insigne, totum carmen in Ibin. Sed iam exempla proponamus. Primum similitudinum, id est τῶν ὁμοιώσεων, quibus aliquid conferamus. Ex autoribus igitur decerptas tales libuit afferre.

1. Pro Sestio: Vt si gladium puero aut si imbecilli seni aut debili dederis, ipse impetu suo nemini noceat: sin ad nudum uel fortissimi uiri corpus accesserit, possit acie ipsa, uel ferri uiribus uulnerare.

2. Pro Murena: Nam ut tempestates sæpe certo aliquo cœli signo cõmouentur, sæpe improuiso, nulla ex certa ratione obscura aliqua ex caussa cõcitantur.

3. In Catilinam in senatu: Vt sæpe homines ægri morbo graui, cum æstu febriq; iactantur, si aquam gelidam biberint, prius releuari uidentur, deinde multo grauius uehementiusq; afflictantur.

4. Oratore: Vt segetes fœcundæ & uberes, non solum fruges, uerum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus.

5. De Oratore 2. Vt qui in sole ambulant, etiamsi aliam ob caussam ambulent, fit natura tamen ut colorentur.

6. In Bruto: Vt enim ex neruorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet.

7. His igitur iam comparationes inueniamus: ut, uerbi caussa, tales: Sic multi nihili homines, atque per se contemnendi, aliquam administrationem & publicas functiones adepti, qui ipsi priuati non potuissent ulli facile nocere, hi autoritate, uel etiam potestate muneris

muneris publici instructi, miserabiles sæpe rerum communium strages edere solent.

2. Ita ea quæ a stultis & imperitis hominibus fiunt, sæpe manifestas caussas improbitatis habent: nonnunquam eiusmodi sunt, ut nulla nisi temeritatis & inconstantiæ effectio appareat.

3. Sic laborantibus rebus audacia & improba consilia nonnunquam opitulari uidentur, sed paulo post multo illæ plerunq; uehementius perturbari solent.

4. Ita magnæ & admirabiles naturæ inter præclaras actiones uirtutis, maxima uicia quoque efferre consueuerunt.

5. Sic qui bonorum autorum scripta a primis annis uoluere atq; legere uoluerint, quamuis non animaduertant, tamen quadam suauitate ueræ eruditionis imbuantur necesse est. Vel, omnia ut propositæ similitudini respondeant, tamen speciem ueræ eruditionis contrahent.

6. Ita ex orationis & uerborum habitu ac motu cognoscitur animi impulsio & uis ingenij, & omnino natura mentis. Vel: Sic oratio & prudentiam, & stulticiam animi indicare solet.

Proponemus & alias similitudines, excerptas illas quidem de ueteribus autoribus, sed aliter paulo a nobis ueluti constructas.

Quemadmodum in arboribus non radices, neq; stirpes, sed rami & flores, atq; uel in primis fructus nos delectant, quorum nihil tamen sine illis existere pos-

set: Ita omnes magnæ atq; ingenuæ artes, necessarias illas quidem, sed minus gratas atq; splendidas præceptiones habent: ipsæ autem sua quadam altitudine conspiciuntur atq; eminent.

Vt seditiosi aliquos semper de priorib. claris hominibus & fortibus ciuibus in ore habere solent, qui nimiæ potentiæ inimici, & populares fuerint, ut sua scelera quasi autoribus illis defendant: Sic isti nouatores doctrinæ, & perturbatores studiorum, & ipsi quasi idem fecerint, superiorum temporum doctos uiros correctores ueteris barbariæ nominare, & tanquam exempla temeritatis suæ proferre solent.

Quemadmodum is qui se præcipitem alicunde dedit, ut qui quondam e Leucade in mare desilijsse traduntur, non magis se potest sustinere, neq; casum auertere: Ita qui obsecuti malis cupiditatibus, in flagitia, uel etiam scelera prolapsi sunt, non habent in sua potestate ut quam longe uelint progrediantur, & ubi uelint insistant: sed perturbati incitatiq; animis, in dedecus exitiumq; ruentes deferuntur.

Est sane ut traditur, Euclides Megaris ortus. Vnde secta fluxit eorum qui Megarici & Eristici & honestiore nomine Dialectici nominati fuere. Quem Timon Sillographus immisisse λύσταν ἐριστικὴν scripsit: Hic igitur inter alias suas mirificas & minutas atq; exiles argumentationes, euertere est conatus comparationis uniuersam rationem, ut exposuit Laertius. Sumsit enim, ἤτοι ἐξ ὁμοίων τὸν τῆς παραβολῆς λόγον ἢ ἀνομοίων

ἀνομοίων συνίστασθαι καὶ εἰ μὲν ἐξ ὁμοίων, περὶ αὐτὰ δεῖν μᾶλλον ἢ οἷς ὅμοιά ἐστιν ἀναστρέφεσθαι, εἰ δ' ἐξ ἀνομοίων, παρέλκειν τὴν παράθεσιν. Interpretemur ſane hæc & de ipſis nos quoq; diſputemus, & adiungatur hoc etiam exemplis exercitationum propoſitarum. Aut ſimilibus, inquit ille rixarum in diſſerendo autor, comparatio conſtituitur, aut diſsimilibus. Si ſunt ſimilia, cur ipſa non potius ſpectantur & conſiderantur? quam ea quibus ſunt ſimilia. Sin diſsimilia, eſt nimirum ſuperuacanea collatio. Sed ſunt fere iſtiuſmodi concluſiunculæ omnes tales, ut conuertendo labefactentur. Poſsit enim aliquis, ut opinor, Euclideis illis ſic reſpondere. Εἰ μὲν ἐξ ὁμοίων, τὸ ἐνδεικνύμενον δι' ὁμοιότητος ἔσται σαφέστερον εἰ δ' ἐξ ἀνομοίων, ἐπιφανέστερον τῇ παραθέσει τὸ προκείμενον. Certe enim cum exhibetur ſimile alteri, iam illud cui ſimile hoc eſt certius indicatur. Vt ſi quis conuenire aliquem uelit ignotum, & ei oſtendatur alter illi ſimilis, facie, habitu, ornatu. Iam nonne contraria quoq; propter ſe collocata, clarius perſpiciuntur, & ſi Purpura diſsimilis alteri conferatur, manifeſtum magis fit qualis ſit utraq;. Sed inueniret ad hæc quoq; aliquid fortaſſe Eriſticus quiſpiam. Et qui tales docere uult fruſtratur ipſe ſeſe maxime, & ſecundum uetus uerbum

πεινῶν τ' ἔοικε μαστίχην μασσωμένῳ.

Quapropter his omiſsis inſtitutas res perſequamur.

Exempla autem συγκρίσεων & multa & uaria in autoribus utriuſq; linguæ ſeſe offerunt. Atq; ſunt

& in argumentis, siue maius minori, siue hoc illi compares, συγκρίσεις frequentes, & in amplificationib. uehementes, quæ ἀπλιθέσεις, hoc est contentiones uocantur: de quibus in præsentia non est propositum disserere. Sed comparationum, ut nunc uolumus, formæ, cum res, locus, persona, tempus fuerit contra aliud constitutum, ut quasi per membra & partes collatio ducatur, tales igitur formæ aut sunt eorum quæ similia putantur, aut in dissimilitudine inferioris ad præstantius, aut contra: aut etiam plane diuersorum ac contrariorum. Similitudinem uoco, ut si duos Rhetores inter se comparemus, & collatione illos quasi exæquemus, perinde ac si (quemadmodum dicitur) Eserninus cum Pacidiano componatur, ut Crassum cum Antonio, & Demosthenem cum Aeschine conferentes. Aut duas plures ue respublicas inter se, aut urbes duas, aut sententias. Antonij & Crassi extat comparatio apud Ciceronem in Bruto: secundum quam & Demosthenis atq; Aeschinis poterit componi, quamuis Cicero Hyperidem cum Demosthene conferre uideatur, sed nos illius oratoris scripta non habemus. Huius sunt modi & Plutarchi illustrium hominum actiones, & fortunæ παραλλήλως expositæ.

COMPARATIO DEMOSTHENIS & AESCHINIS.

Non

Non ideo quia inter Demosthenem & Aeschinem certamen fuit & contentio ea quam scimus, minus utrunq; dignitate præstitisse putandum. Constat enim & maximos, & in sua repub. honoratißimos ambos uiros fuisse. Neq; Aeschines, quod uictus iudicio sit, non clarißimus orator uideri debet. Sed ita potius statuendum, cum sic dixisset ille, nihil ut exquisitius neq; subtilius dici potuisse uideatur, oppressum fuisse ui & impetu Demosthenis. Quid enim est oratione illius enucleatius? quanta diligentia omnia persequitur? quanto studio explicat? quam accurate disputat? Quod si quis requirit eum qui docere alios & instruere, qui ueluti ante oculos illorum spectandas res eas quas commemorat, proponere, qui diserta oratione animo concepta & cogitata exprimere, qui collocate distincteq; omnia proferre posßit: is cum huius scripta attente legerit atq; cognouerit, eum fuisse Aeschinem facile intelliget, in quo uniuersa quæ diximus reperirentur, uel etiam abundarent. At grandis & magnificus quæritur orator, & qui non dicere, sed tonare uideatur. Hic ille igitur Demosthenes erit. Nulla tæla ita feruntur, uiolente balistis & arcubus incitata, ut huius uibratur oratio. Nulli fluuij, cum amnes alios multos absorbuerunt, tam pleno alueo decurrunt, quam huius oratio omnis doctrinæ copia exundat, & fertur quasi cumulo quodam cum uerborum, tum sententiarum. Nihil autem neglectum incultum ue in hac,

ſed perpolita exornataq; ſolicite omnia uiſuntur. Non uerba pondere, non luce ſententiæ carent: itidemq; hæ grauiſſimæ in illorum clariſ. luce eminent, atq; conſpiciuntur. Atq; hæc nos utcunq; intelligere ac perſpicere de ipſius ſcriptis poſſumus. Quid uero pronunciatio? quid actio? quam fuiſſe admirabilis & eximia in hoc perhibetur? &c.

COMPARATIO TIbulli & Ouidij.

Dicamus & de leuiorum artium ſtudio, ut Ciceroni placet, & ex illo nobiles poëtas duos ueluti in medium producamus, Tibullum atq; Ouidium. Vtrunque mollem, ac tenerum, & facilem: qui ambo & amores cecinere, & uerſiculis illos incluſere, quaſi remiſſi & ſolutioris cuiuſdam modi, quos Elegiacos uocant. De his inter ueteres contentio fuit, uter alteri præferendus uideretur. Ego uero quoties Tibulli carmina lego, nihil amplius requiro, neq; uenuſtatis, neq; elegantiæ: doctrinam autem & eruditionem admiror. Omnia arte ſtudioq; ſummo elimata mihi uidentur: Itaq; in maxima facilitate, illa tamen cura elaborationis & diligentiæ conſpicitur. Verba optima, ſententiæ exquiſitæ, compoſitio omnibus, ut aiunt, numeris perfecta. Ex quo neceſſe eſt hoc conſequatur, carmina ut ſint & canora, & ſplendida, & concinna. Quid autem in Ouidio, quæ ue

laus

laus eminet? Primum ingenij tanta uis, ac tam agiles, tamq; celeres motus, tam promta facultas, tanta bonitas in hac parte naturæ, ut in facili & extemporali genere quodam, nihil reperias non solum quod scriptis illius anteferre, sed ne conferre quidem possis, nihil in illis solicitum, nihil quæsitum, nihil anxium. Sententijs uerba urgentur, uerba sententias incitant. Nulla copia, nullum ornamentum, nulla insignia sunt orationis, quæ non inuestigata quidem aut conquisita fuerint ab hoc poëta, sed quæ non illi ultro occurrerint & suppetierint, ut iam aliquibus fastidiosis scilicet, offensioni magis quam delectationi hæc esse soleant, & dolori inuidis, ex quo obtrectatio alienas quasi diuitias infectans nascitur.

Ita etiam comparabuntur inter se miles Germanus & Hispanus, eques Francicus & Saxonicus, uinum Francicum & Renanum, &c.

COMPARATIO CAROLI Magni & Cæsaris Octauiani.

Etiam ipsa natura, sic enim sentio, quorum parem uirtutem esse uoluit, in ijs multa alia similia proferre consueuit. Itaq; cogitanti mihi de Carolo Imperatore, quem Augustum primum Franci habuerunt, tanquam de imperij nouo fundatore, ut Romæ Octauianus Cæsar fuit, cumq; hoc illum conferenti, non pauca occurrunt in uita fortunaq; horum similia,

cum uirtus fuerit par in utroq;. Nam Cæsar, etsi ne-
quaquam humili loco, ut falso obiecit aliquando ini-
micus Antonius, natus: non tamen quasi procreatus
in regnum fuit, sed cum suscepisset res Romanas la-
borantes, & in discordia ciuium afflictas, illas re-
creauit, & collegit, atq; constituit. Similiter & Ca-
rolus, non ille quidem ab antiquo generis regij, mul-
toq; minus Italicæ aut Græcæ nobilitatis, antiquæ
tamen familiæ laude celebris, Romanam rem laben-
tem & prostratam erexit, atq; restituit, summoq;
omnium studio, ut Octauianus, maximaq; gratula-
tione imperium unus, hostibus uictis, cæsis, deletis,
adeptus est. Quid uero longi temporis diuturna &
uarij euentus bella, nonne ab utroq; gesta legimus?
At pacis artes pariter & ipsæ ambobus curæ fuere.
Nam & Octauianus Cæsar a Iulio multa incoata &
cœpta de anni ratione perfecit, urbemq; operibus ædi-
ficijsq; exornauit. Et prouinciarum administratio-
nes ac leges inter arma disiectas confusasq; instau-
rauit atq; renouauit. Linguæ uero Latinæ & mo-
rum Romanorum fuit studiosissimus. Carolus autem
& ipse plurima ac spectabilia excitauit opera, &
cum ciuiles res ordinauit, tum sacrorum etiam re-
spectum curamq; habuit. Multa in sua lingua & lo-
cupletanda & percolenda, tentauit. Quid quod in
rebus quoq; domesticis & Cæsari & Carolo aliquam
molestiam filiæ obiecere? Clementia certe utriusque
summa fuit, sed Caroli aliquanto maior. Fuit & utri-

usq;

usq; in iram procliuis animus. Itemq; neuter a facetijs ac iocis abhorruit. Quid quod de pueritia Cæsaris nihil certi, de Caroli nihil omnino, ne ab ijs quidem quos in familiarißimis habuit, scriptoribus rerum ab eo gestarum, traditum accepimus? Quid neuter quod Romæ, quid ambo eadem fere ætate quod mortui sunt? cum constet utrunq; maiorem annis LXXII. a uita discesßisse.

COMPARATIO GEORGII Præsulis Pabepergensis, & Caroli ducis Burgundiæ.

Præsulem Pabepergensem Georgium, qui fuit clarißimæ Limpergensium familiæ, & Carolum Burgundiæ superiorum temporum laudatißimum ducem, animaduertimus consiliorum actionumq; constantia & grauitate pares, atq; etiam fortunæ quadam similitudine usos fuisse. Id quod ego, etsi uterq; peculiaribus uirtutibus suis immortalem famam obtinuit, etiam in illa diuersa dißimilis uitæ ratione, tamẽ glorioßimum ipsis esse iudico. Si enim per se uterq; meritus est, ut omnium admiratione & cultu atq; etiam amore dignus haberetur, quis non iam & colet & uenerabitur unius quoq; in altero ueluti imaginem, & hanc naturæ expreßionem admirabitur? Fuisse autem utrunq; nobilißimum principem, satis cõstat. Possemq; de quadam pari præstantia maiorum utriusq;

utriusq; copiose differere, sed mihi ipsos inter se comparare propositum. Consiliorum igitur cum honestate, tum constantia nihil similius. Neuter turpia animo admittere, neuter a deliberatis facile deduci. Actionum autem in utroq; & grauitas & dignitas summa. Carolus quidem bella gessit magna & difficilia: Georgius uero & ipse multorum hostilibus odijs ad arma sæpe est compulsus. Nunquam suos Carolus non esse paratos contra hostes, etiam quasi silescente metu illorum uoluit. Itaq; sæpe sibi occurrentibus in castris pugionem impegisse dicitur in thoracas, ut assuefaceret ad arma induenda suos, cum, si nudis hoc accideret, intelligerent quantum in discrimen uenturi essent. At Georgius & ipse, quod sæpe cum equestris nobilitatis infestis incursionibus conflictandum esset, quo sui essent animis attentis, neque curam belli remitterent, nullas tractationes cum hostibus unquam iniri passus est, pactis inducijs. Itaq; sæpe inter illos conuentus habiti, & tentata pax, sed absq; inducijs semper. Quid? Carolum quod Maximilianus Imperator ut socerum, Georgium ut præsulem ueneratus est, amauit & suspexit ambos constantiæ & sapientiæ atq; integritatis nomine, utq; omni uirtutis laude excellentes coluit atq; obseruauit. Et ideo Carolum quidem diuinus ille Imperator ultro sectatus fuit, hunc autem ad se allexit, ab illo ipso beneficijs affectus, hunc deuincire sibi studuit. Quin etiam Carolum adolescens adhuc, Georgium senior iam complexus est. Ego quidem,

dem, cum in huius tanti uiri iudicio & animi incli-
natione quasi confluat utriusq; existimatio, non re-
perio quæ huius similitudinis eminentia illustrior
alia esse possit. Cum autem uterq; non simulata, sed
uera & immutabili uirtutis cultura omnium impro-
borum animos a se alienasset, mirifica ac incredibi-
lis fuit erga illos bonorum incitatio, & cupiditas in-
gens. Vterq; etiam ad se quasi congregauit eos, quos
reliquis ingenio, doctrina, uirtute, fide præstare co-
gnouisset. Itaq; scimus Caroli aulam refertam fuisse
maximis & sapientissimis atq; etiam fortissimis ui-
ris: at Georgius nullos unquam ad conuentus prin-
cipum non ita instructus affuit, quin petentibus alijs
principibus, ad deliberationes de suis accommodare
consiliarios posset, & retinere tamen ipse adhuc
suum consilium. Constat autem præfecturas & mu-
nera curationesq; publicas nunquam fuisse in ditione
Pabepergensi melius splendidiusq; administratas,
quam sub hoc principe. Atq; etiam mors utriusq;,
in uulgus minus nota: postq; hanc amor erga ipsos
omnium auctus fuit, cum magis propemodum requi-
rerent atque desiderarent ereptos sibi, ut fit, quam
præsentibus honorem habuerant, qui tamen essent
illos ueherati eximium in modum. Itaque sane diu
apud magnam hominum partem opinio, uel per-
suasio potius durauit, mortuos illos non esse. Nam
& Carolum memoria patrum nostrorum uiuere ad-
huc fama fuit sparsa, & aliquibus in locis oberrare

exulem

exulem uisum qui affirmarent reperti sunt, alij captum abductumq; in Galliam fuisse credidere : & Georgium excessisse e uita, multis annis, ijs quoq; assseuerantibus, qui cum moreretur præsentes fuerant, pleriſq; persuaderi non potuit, alijq; alijs rumoribus temere exortis assentiebantur. In quibus & hi erant, custodiri eum oppressum a maleuolis suis. Excepit etiam ditionem utriusq; sublatis illis fortuna pene par. Nam etsi Carolo succesſit Maximilianus, cum quo nupta esset filia illius, decus muliebris sexus : isq; fuit Maximilianus, quo nobilitata Germania se iure optimo cum quacunq; natione conferre posse uideatur : tamen non huius quidem culpa, sed nescio quo fato, multa postea turbulenta & difficilia in illis terris, quibus Carolus ante felicissimis præfuerat, accidisse scimus. Post Georgium autem, qui status rerum in Pabepergensi ditione, quæq; clades ac calamitates subsecutæ fuerint, si memorare uellem, & longa oratione opus esset, & sine fletu ac lacrimis, sineq; inuidiosis querelis narrari a me non posset.

Inferiora ad præstantiora, aut contra solent comparari, itemq; dissimilia inter se uel natura ac genere ipso, uel conditione atq; fortuna, ut si comparem ferrum cum argento, aut uinum cum aqua, gemmam cum molari saxo, seruum cum libero, uirginem cum nupta. In his iam quidem discrimen apparet, sed maius in talibus : agriculturæ cum militia, uerni temporis

poris cum æstiuo autumnali ue, ludi cum ebrietate, mendacij cum furto, Doli cum ui. Iam contraria plane sunt, paupertas & opes, nox & dies, mors & uita: publica atq; honorata uita, & priuata ac ociosa. In hæc fere incidunt contentiones, cum in comparatione aliquid effertur uel deprimitur, magni fit aut parui, laudatur aut uituperatur. Talis est luculenta comparatio Liuiana, rerum Romanarum cum Macedonicis, & cum Romanis ducibus Alexandri: uel potius belli Persici, & eius quod cum Romanis gesturus fuisset. Et apud Plutarchum, uirtus Athenienſium ſapientiæ in comparatione anteponitur. Contra Cicero, oratores contra Imperatores laudat in Bruto: quem locum propter elegantiam, & quandam etiam ſubtilitatem recitare libet: Plus enim certe attulit huic populo dignitatis, quiſquis est ille, ſi modo est aliquis, qui non illuſtrauit modo, ſed etiam genuit in hac urbe dicendi copiam, quam illi qui Ligurum caſtella expugnauerunt, ex quibus multi ſunt, ut ſcitis, triumphi. Verum quidem ſi audire uolumus, omiſſis illis diuinis conſilijs, quibus ſæpe conſtituta est Imperatorum ſapientia ſalus ciuitatis, aut belli, aut domi, multo magis orator præſtat minutis Imperatoribus. At prodest plus Imperator, quis negat? Sed tamen non metuo ne mihi acclametis: est autem quod ſentias dicendi liber locus: Malim mihi L. Craſſi unam pro M. Curio dictionem, quam Caſtellanos triumphos

duc-

duos. At plus interfuit reipub. Castellum capi Liguꝛum, quam bene defendi cauſſam M. Curij. Credo. Sed Athenienſium quoq; plus interfuit, firma tecta in domicilijs habere, quam Mineruæ ſignum ex eboꝛe pulcerrimum: tamen ego me Phidiam eſſe mallem, quam uel optimum fabrum tignarium. Quare non quantum quiſq; proſit, ſed quanti quicq; ſit, pondeꝛandum eſt, præſertim cum pauci pingere egregie poßint aut fingere, operarij autem aut baiuli deeſſe non poßint. Plutarchus etiam animi uicia comparatione oſtendere uoluit, deteriora eſſe corporis morbis. Et eorum animalium quæ in terris, quæq; in aquis degerent, naturas & ingenia mutua laude celebrauit. Idem & de utilitate ignis atq; aquæ, in comparatione illorum diſſeruit. Comparationum autem formulæ diligenter obſeruandæ & notandæ de ſcriptis ueterum utriuſq; linguæ autorum. Et loci in quib. illæ fuerint repertæ inſigniores ſtudioſe cognoſcendi ſunt. Virgiliana perelegans eſt ruſticæ uitæ humilioris, & ſplendidæ urbanæ, Georgicorum ſecundo:

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem uictum iuſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis uomit ædibus undam,
Nec uarios inhiant pulcra teſtudine poſtes,
Illuſaſq; auro ueſtes, Ephyreiaq; æra,

Alba

Alba nec Assyrio fucatur lana ueneno,
Nec casia liquidi corrumpitur usus oliui.
At secura quies, & nescia fallere uita,
Dines opum uariarum, at latis ocia fundis,
Speluncæ, uiuiq; lacus, at frigida tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni
Non absunt, illis saltus, ac lustra ferarum,
Et patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,
Sacra deum, sanctiq; patres: extrema per illos
Iusticia excedens terris uestigia fecit.

Est & in Muræniana, præclara collatio studij rei bellicæ ac Iuris ciuilis. Et in undecima Philippica locus illustris comparationis, miseriorem esse Dolobellam Trebonio. In quo hæc comparationis γνώμη eminet. Nam quo maior uis est animi quam corporis, hoc sunt grauiora ea quæ concipiuntur animo, quam illa quæ corpore. Sed & alibi aliæ, in Cluentiana: Quo enim est ipsum nomen amantius indulgentiusque maternum, hoc illius matris, quæ multos iam annos, & nunc cum maxime filium interfectum cupit, singulare scelus maiore odio dignum esse ducetis. Sed de his negaueramus nos uelle disserere. Referri ad hoc caput debebunt illæ quoque similitudines παρεξολικαὶ, quod a poëtis fere usurpantur, quæq; referuntur ad aliquid quod fieri non posse, aut nunquam semper ue futurum, intelligi uolumus:

Ante leues ergo pascentur in æquore cerui, &c. Et,

Dum iuga montis aper, fluuios dum piscis amabit.

In quo genere Ouidiana in libris Tristium, & de Ponto, eximia sunt.

Est & hæc forma comparationum, quæ contraria aut omnino diuersa distinguens, relata ad se illustri specie quadam euidentiora reddit. Vt hoc: *Quid uita iucundius, quid tristius morte?*
Quid ferro uilius, auro pretiosius?
Quid uirtute pulcrius, turpius uicijs? Ouidius:
Quid melius Roma, Scythico quid frigore peius?

Huc & illa Ouidiana referemus, de Ponto libro secundo:

Artibus ingenuis quæsita est gloria multis,
Infelix perij dotibus ipse meis.
Vita prior uicio caret, & sine labe peracta est,
Auxilij misero nil tulit illa mihi.
Culpa grauis precibus donatur sæpe suorum,
Omnis pro nobis gratia muta fuit.
Adiuuat in duris aliquos præsentia rebus,
Obruit hoc absens uasta procella caput.
Quem non obrueret taciti quoq; Cæsaris ira?
Addita sunt pœnis aspera uerba meis.
Fit fuga temporibus leuior, proiectus in æquor
Arcturum subij, Pleiadumq; minas.
Sæpe solent hiemem placidam sentire carinæ,
Non Ithacæ puppi sæuior unda fuit.
Recta fides comitum poterat mala nostra leuare,
Ditata est spolijs perfida turba meis.

Mitius

Mitius exilium faciunt loca, triſtior iſta
Terra ſub ambobus non iacet ulla polis.
Eſt aliquid patrijs uicinum finibus eſſe:
Vltima me tellus, ultimus orbis habet.
Præſtat & exulibus pacem tua laurea Cæſar,
Pontica finitima terra ſub hoſte iacet.
Tempus in agrorum cultu conſumere dulce eſt,
Non patitur uerti barbarus hoſtis humum.
Temperie cœli corpuſq; animuſq; iuuatur,
Frigore perpetuo Sarmatis ora riget.
Eſt in aqua dulci non inuidioſa uoluptas,
Aequoreo bibitur cum ſale miſta palus.

Hunc totum locum recitare placuit, quod ad exemplum eſſet copioſus & uarius. Paulo ante libro primo comparat ſuam in Pontum profectionem cum nauigatione Iaſonis. Poterunt & debebunt quidem congeri & de alijs autoribus diuerſi modi exempla. Horatiana ſunt in Carminibus præclara:

Latius regnes auidum domando
Spiritum, quam ſi Libyam remotis
Gadibus iungas, & uterq; Pœnus. Seruiat uni.

Cum potentia & dominatione animi æquitas confertur. Item illa:

Abſtulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit ſenectus. Item:
Te greges centum, Siculæq; circum
Mugiunt uaccæ, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro

Murice tinctæ
Vestiunt lanæ: mihi parua rura, &
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere uulgus.

Est apud eundem comparatio casuum & fortunæ suæ cum Mœcenatis fortuna, ducta de causis astrologicis, lib. II. Oda. XVII. Libro III. elegans comparatio præsentis uitiosæ ac delicatæ, & antiquæ laudabilis ac seueræ educationis iuuentutis Romanæ. Non me fugit autem, comparationes proprie appellari & esse earum rerum, quæ uel natura, uel precio et existimatiõe sunt aliquo modo pares: quemadmodum, ut ait Isocrates, purpuram solent, & aurum contemplari ac probare, ad demonstrationem eorum quæ & specie similia, & precio æqualia esse uideantur. Tamen ad hoc caput has etiam contrariorum ueluti collocationes contra se adiungere, & uobis cognoscendas exercendasq; proponere placuit. Quale fuerit & hoc, ut nostrum quoq; exemplum adducamus.

COMPARATIO DIVITIARUM & paupertatis.

Quis igitur dubitat, an potius dubitare quisquam potest, fugiendam esse paupertatem, & appetendas diuitias? Sic etiam, secundum poëtam ueterem, de

rupibus

rupibus nos ut præcipites dare non uereamur, quid enim in homine non adiuuat, perficit, expolit opulentia: deprimit autem, & corrumpit, atque deformat paupertas? Primum educatio, quæ ad laudem momenti plurimum habet, paupertatis qualis est? quam contraria bonæ spei? At in diuitijs omnia ad hanc idonea & conducibilia suppeditantur. Quæ cura corporis, quæ animi eruditio in pauperibus esse potest? At in opulentia, ut Herculi, quemadmodum Theocritus fecit, honestorum studiorum singuli magistri contingere possunt, neq; desunt alia etiam quasi instrumenta eruditionis & doctrinæ. Quis iam etiam diuites non ut nobiles obseruat, ut sapientes admiratur, ut bonos sectatur? Pauperes uero etiam a suis contemnuntur: nihil his doctrina, nihil uirtus prodest. Hos refugiunt uniuersi. Itaq; neq; amicos, neq; etiam propinquos illi habent. Quid quod diuitiæ animos etiam spe optima complent, paupertas uero sæpe in desperatione ad laqueum adigit. Illæ in pace decori, in bello subsidio sunt. Hæc neq; pacem, neque bella ferre potest. Quæ autem est morborum in paupertate miseria, quæ in copia commoditas curationis? Iam pauperes æstate sudant, hieme algent, at opulentia hoc consequitur, utroq; tempore ut iucunde beneq; uiuatur. Affinitates, familias, cognationem, sobolem procurant, comparant, augent, opes: perturbat, dissipat, diminuit egestas, omnia genera uitæ, omnes conditiones atq; ordines persequere, & reperies pauper-

tate labefieri, ſtabiliri opulentia, in hac ſtare & excellere, in illa iacere atque deficere, &c.

DE PARAPHRASI.

CVm ea quæ ab alijs expoſita ſunt, mutata forma orationis referuntur, ita ut omnia dicantur copioſius atq; explicatius, παράφρασις ea dicitur a Græcis, manifeſta ſignificatione uerbi, qua notatur quædam elocutio, παρά τὰ πρότερον πεφρασμένα. Hoc genere uidemus ueteres poëtarum explicatores in illorum ſcriptis interpretandis, & explanandis obſcurioribus ſenſibus, propemodum neceſſario uſos. Extat & apud Platonem in lib. rerumpub. huius rei exemplum, expoſitio Homericorum aliquot uerſuum de Iliad. ά. quorum oratione ſoluta formam mutauit, & uerbis quoque reddidit diuerſam. Quæ omnia placuit in Latinam linguam conuerſa, exempli cauſſa ſubijcere:

Venerat hic celeres Danaum prece ſupplice naues,
Proq; ſua apportans redimenda munera nata,
Ornamenta Dei uittas ſacraſq; coronas,
Aurea ſceptra manu retinens, orabat Achiuos,
In primis geminos Atrei de ſanguine fratres,
Quos erat imperium penes & ius nobile regni.
Atridæ, atq; omnes fortiſſima turba Pelaſgi,
Sic uos totius diuina potentia cœli
Victores Phrygia ſaluos deducat ab urbe,

Atq;

Atq; det in patriam cursum, uentosq; secundos,
Natam infelici genitori reddite Graij,
Reddite non uili natam mercede solutam.
Hic alij Argiuæ proceres atq; agmina plebis
Acclamare, senem reuereri, sumere dona.
Vnius Atridæ sed erat diuersa uoluntas.
Ille male acceptum uatem propellit, & ultro
Accumulat dictis conuicia facta superbis.
Si te ego post inuise senex conspexero, curua
Rostra frequentantem, seu nunc, iterum ue reuersum,
Non mihi te eripiet sceptrum, non insula Phœbi.
Hanc non restituam, dum seruam tarda senectus
Excipiat, procul a patrijs distantibus oris,
Mœnibus Argolicis, plenos ubi sedula fusos
Euoluet digitis, & nostra cubilia sternet.
Ergo age te nostris citus e conspectibus auser,
Ne stet nostra tuæ damno indignatio uitæ.
Hæc ubi dicta dedit, paret trepidante sacerdos
Mente, premens tacito dirum sub pectore uulnus.
At simul hostiles resonante in littore turmas
Tutus ut euasit, sublata sidera uoce
Complens, Latona genitum in sua uota uocauit.
Arcitenens Chrysæ dominus, Cyllæq; beatæ,
Sminthie, qui Tenedum dextra moderare potente,
Grata sacram templi uenerandi uictima nostris
Cæsa tuas manibus terram si planxit ad aras,
Extaq; subiectis arserunt pinguia flammis
Caprarumq; boumq; has exaudire querelas

Phœbe meas propera, ac in Achaica corpora mißis
Humida noſtra tuis ulciſcere lumina telis.

Plato ita, quemadmodum nos quidem interpretati ſumus: Cum autem ad illos ueniſſet ſacerdos, primum deos precatur, ut ſalui ipſi atq; incolumes, Troiam caperent. Deinde ab illis petijt, ſuam ut filiam accepto precio, & Deum reueriti, ſibi reſtituerent. Hæc locutum uenerati alij omnes, dicta comprobarunt. Agamemnon autem ferox eſſe, iubereq; illum & diſcedere ſtatim, & reuerti nunquam, ne ipſi parum cum ſceptrum tum coronæ Dei prodeſſent. Addidit & hoc, filiam ipſius prius quam liberaretur, ſecum Argis anum futuram eſſe. Abiret igitur, neq; iritaret ſeſe, ut ſaluus domum ſuam uidere poſſet. His auditis, ſenior extimuit, & cum ſilentio abijt. Progreſſus autem extra caſtra, multis precibus Apollini ſupplicauit, cum & Dei cognomenta memoraret, & mentionem faceret, atq; mercedem repeteret eorum munerum, quibus illi unquam gratificatus fuiſſet, uel in ſarto tecto præſtando templum eius, uel in re diuina facienda, quorum gratia orabat, ut poenam lacrimarum, a Danais ulciſcendo iniurias ſuas diuinis telis perſequeretur. Erit & exemplum traductio uerſuum Terentianorum apud Horatium:

—— Ne nunc cum me uocet ultro
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Excluſit, reuocat, redeam? non ſi obſecret. Ecce

Seruus

Seruus non paulo ſapientior: o here, quæ res
Nec modum habet, neq; conſilium, ratione modoq;
Tractari non uult, in amore hæc ſunt mala, bellum,
& cætera.

Has aliqui uocarunt μεταφράσεις, diſtinguentes hoc genus ab altero τῶν παραφράσεων, quod ſit liberius, & longius euagetur, & non ſolum alterius dicta interpretanda, ſed etiam ornanda atq; augenda explicatione quadam fuſiore ſuſceperit. Talis eſt & Ouidiana fabula Dædali expoſita lib. VIII. Met. uerſib. hexametris, & lib. 2. de Arte, carmine elegiaco. Cum autem uel poëtarum uel aliorum autorum certi loci ita quaſi retexuntur, in hoc quidem manifeſta eſt utilitas, quod diligentius in illis cognoſcendis laborandum eſt, & habet lectio atq; cogitatio attentionẽ maiorem: ſed id periculi impendet, ne cum quærendo alia uerba, tum fõrmam expoſitionis mutando, deterius aliquid faciamus Sicut uideri poßit Ouidius feciſſe, illudq;,

Erudit infirmas ut ſua mater aues,
alia ut fõrma fieret, ita mutaſſe,
Damnoſaſq; erudit artes.

quod ſi intellectum ſit, ut non nocere multum, ita nihil prodeſſe poterit. Quam potißimum ob rem Cicero hanc exercitationem ad augendam eloquentiam idoneam non eſſe exiſtimauit. Ac notatum eſt in ſcriptis, non ſolum poëtarum plane ueterum, ſed etiam autorum utriuſq; linguæ minus priſcorum, quæ ſemel eſſent bonis uerbis atq; ſententijs & ea compo-

sitione perfecta, ut placitura alijs esse crederentur, illa non mutari, sed eadem ῥητῶς, ut dicitur, repeti solita. Ac sunt Homerica quidem notißima. Virgilius autem in quadam ueluti delicatiore eruditione seculi sui hæc minus frequentauit, non neglexit tamen, ut cum de IIII. Georgicon, post mutatos aliquot uersus, hos in primo Aeneidos repetiuit:

Aut onera accipiunt uenientum, aut agmine facto
Ignauum fucos pecus a præsepibus arcent.
Feruet opus, redolentq; thymo fragrantia mella.

Itemq; hos in primo & tertio posuit:

Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atq; ubere glebæ:
Oenotrij coluere uiri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.

Et libro III. atq; VIII. hos:

Littoreis ingens inuenta sub ilicibus sus,
Triginta capitum fœtus enisa iacebit,
Alba solo recubans, albiq; sub ubere nati.
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Sed & alia repetita apud eundem reperias. Similiter & Demosthenica, eadem enim perpaucis mutatis uerba in oratione leguntur de reb. Chersonesi, & in quarta contra Philippum, huius sententiæ. Nemo enim uestrum tam est stolidus, ut credat Philippum, illas Thraciæ miserias (quo enim alio nomine appellem nescio) Drongilum, Cabylen, Mastiram, & quæ nunc loca tenere dicitur, ea appetere, utq; acquirat

labores

labores & hiemes extremaq; pericula subire. At portus Athenienſium, & naualia, & triremes, & argentifodinas, tamq; fructus copioſos, nec non locum ipſum atq; famam (quorum di prohibeant cum illum, tum quemuis alium oppreſſa ciuitate noſtra potiri) non concupiſcere, ſed paſſurum hæc poſsidere uos, ipſumq; in Thracicis Sirris Melinarum & Olyrarum hibernare cauſſa? Aliter ſeſe res habet. Nam & illa ut horum potiri poſsit, omniaq; alia agit atque molitur. Item eadem ijſdem pene uerbis reperiuntur in oratione contra Androtionem, & in oratione contra Ariſtocratem. Id poſteriores non fecere, ueriti, ut opinor, ne cuiuſdam hoc ipſis infantiæ notam inureret.

Nos ſane in linguæ ipſius proprietate, & ſermonis facultate quadam comparanda, non poterimus non fateri, hoc exercitium cum ſumma utilitate proponi pueris. Quod autem Quintilianus diſputat contra Ciceronem de multiplici forma ac ueritate eloquentiæ, ac cum bonis & laudatis aliorum dictis ſtudioſos eloquentiæ etiam certare uult, ſic quidem ſe habet, ut quamuis uerum, non tamen audacter uſurpandum, ſed cum maxima & cura & timiditate quadam faciendum eſſe uideatur: ita minime uitioſis aſſueſcemus. Non enim profecto in ſtudijs licentia quiduis conandi, & elatio animorum prodeſt. Plinius audacem hanc contentionem fatetur, ſed negat eſſe improbam, quia ſecreta ſit. Sed nemo ſibi nimium

mium in hoc indulgebit, neq; ſtudebit unquam optima quæ ſint facere meliora. Nam quin expediat in hoc quoq; operam diligentiæ conferre, ut eadem aliter pronunciare, & aliorum inuenta, ac noſtra quoq; diuerſa ut appareant, efficere poßimus, nemo unquam dubitauit : & Ciceronianæ, quæ memorantur, cum Roſcio contentiones commendant, cum non minus ſæpe orationem ipſe uariaret, quam nouos geſtus hiſtrio ederet. Suſpiciuntur & illi ingenij conatus ſiue Maronis, ſeu neſcio cuius alterius, de arcu cœleſti, deq; anni quatuor uicibus, de die oriente, & de duodecim ſignis cœleſtibus. Sed hæc profecto non ſolum non puerilia, ſed in robuſta etiam eruditione atq; doctrina ſunt difficilia. Facillimus autem eſt in hac contentione lapſus ad deteriora, cum omnino aliud facere decretum ſit : & ut ſecundum Pindarum, in uita,

ἓν παρ' ἐσθλὸν, πήματα δὲ δύω,

ita fit plura in oratione ut minus pulcra, ſpecioſa incidant perpauca. Tum ingenij certe excellentia, quæ ad hæc requiritur, ut omnia præclara, ita & ipſa rara eſt. Sed in his, extra propoſitum quidem, ſumus commorati diutius.

Alterum genus, quod παράφρασιν proprie dici uoluere, cum magis quaſi funderetur & proflueret expoſitio, magnopere proderit & ad orationis copiam comparandam & animi iudicium conformandum. Nam in hoc opere non ſolum ſententiam, expreſſam ab illo, cuius elocutionem mutare uoluerimus,

notam,

notam, sed omnia etiam cum illa consentanea, deprehensa & animaduersa esse debebunt. Nam & exemplis dicta illustrabimus, & subiectis rationibus confirmabimus, & sæpe obscuriora subtilitate orationis quasi enucleabimus. Ad quæ statim pueros adducere ualde proderit, quamuis non solum cum laude ætas hæc in tantis rebus nequaquam uersari, sed ne ipsas quidem quales omnino sint, intelligere adhuc possit. Nam quia hoc mirabiliter a poëta ita est factum, ut summæ doctrinæ inimitabile uideatur,

Hi summo in fluctu pendent, his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit, furit æstus arenis.

Et rursum in III. hoc modo:

Tollimur in cœlum curuato gurgite, & iidem
Subducta ad manes imos descendimus unda.

Horum ne igitur præstantia & diuinitate deterrebimur, quo minus pueris cognoscenda sequendaq; proponamus? quid si, nam unum hoc tam insigne exemplum pro multis esse poterit: si ergo addamus, ab ipso poëta, quod dictum erat, statim conuersum retro,

Ter scopuli clamorem inter caua saxa dedere,
Ter spumam elisam, & rorantia uidimus astra.

His q; insuper adiungamus Ouidiana hæc, de XI. Metamorph. copia quadam etiam abundantia:

Fluctibus erigitur, cœlumq; æquare uidetur
Pontus, & inductas aspergine tangere nubes,
Et modo cum fuluas ex imo uertit arenas,
Concolor est illis, stygia modo nigrior unda,

Sterni-

Sternitur interdum, spumisq; sonantibus albet.
Ipsa quoq; his agitur uicibus Trachinia puppis,
Et nunc sublimis ueluti de uertice montis
Despicere in ualles, imumq; Acheronta uidetur,
Nunc ubi demissum curuum circumstetit æquor.
Suspicere inferno summum de gurgite cœlum.

Itemq; lib. 1. Tristium, in copia breuius:

Me miserum quanti montes uoluuntur aquarum?
Iam iam tacturos sidera summa putes.
Quantæ diducto subsidunt æquore ualles?
Iam iam tacturas tartara nigra putes.

Hæc igitur tam eximia & mirabilia ingenij opera, non debilitare ingenia nostra, sed excitare atq; urgere potius debebunt.

Extat & apud Xenophontem παιδείας περάτων, tractatus ad παραφράσεων modum locus Theognidis, quem subiecimus conuersum a nobis:

Cyrne, sibi haud quisquã est autor damni ue lucri ue,
Ipse, sed hoc tribuunt munus utrunq; Dei.
Nec scit corde suo, quod agit, bonus excipiat ne
Exitus, an uersa conditione malus.
Quippe bona in mala conuertunt, & sorte malorum
Sæpe etiam finis fit meliore bonus.

Xenophon ita: Contra extorum & auium monitus caue quicquam aggrediare, neq; tuarum rerum, neq; publicarum, cum exercitu periclitaturus. cogitare enim debes, humanum genus opinione sua deligere quæ gerant, neq; euentus bonos, aut contrarios habere

bere exploratos. Hoc de ijs quæ faciunt perſpicere poteris. Nam multi qui ſapientiſſimi haberentur, autores fuere ciuibus ſuis belli inferendi ijs, a quibus, cum paruiſſent illi, funditus deleti fuere. Multi etiam potentiam adiunxere multis cum priuatis, tum totis ciuitatibus, qui poſtea ab his potentiam adeptis admodum fuerunt afflicti. Non pauci quoq; quibus amicis in beneficiorum mutua conſuetudine uti poterant, cum ſeruos illos quam amicos habere mallent, his ipſis pœnas dederunt. Poſſem commemorare plurimos, qui contenti ſua ſorte iucunde uiuere recuſarint, quiq; in cupiditate ſummæ potentiæ, parta etiam amiſerint. Quot uero optatiſſimi auri copiam nacti, hanc habuere cauſſam exitij ſui? Quapropter ſapientia humana in electione optimi non magis certa eſt, quam ſortitionis exitus. At Dei, qui ſunt, o fili, ſempiterni, norunt omnia, tam præterita quam præſentia, atque inſuper quo quicq; ſit euaſurum. Iidem & deliberantibus hominibus, quibus propitij fuerint, præſignificant quid facere ipſos, quidq; omittere oporteat, &c. Videre licet, quam copioſe explicarit Xenophon id quod dixerat Theognis, Neſcire homines, quem finem in cœpta ſua habitura eſſent, &c. Hoc igitur genus frequenter & aſſidue ſi tractetur, uberrimos fructus afferet bonæ & diſertæ, atq; etiam elegantis & copioſæ orationis. Etſi, ut uerum fatear, in illo altero metaphraſtico, quaſi exiliore, erit & ipſa

periclitandum. Posse autem studio adhibito, & cum cura iterum atque iterum efferri idem præclare mutata forma sermonis, etiam hoc argumento fuerit: quod aliquis sæpe non respiciens ad ea quæ uel ipse, uel alius quapiam de re dixerit, proferat eadem aliter, ut Cicero, quemadmodum uidetur, Officiorum lib. 1. hæc: Homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum uidet, earumq; progressus & quasi anteceßiones non ignorat, similitudines comparat, rebusq; præsentib. adiungit atq; annectit futuras, facile totius uitæ cursum uidet, ad eamq; degendam præparat res necessarias. Eademq; natura ui rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad uitæ societatem. Ingenerat in primis præcipuum quendam amorem in eos qui procreati sunt, impellitq; ut hominum cœtus & celebrari inter se, & sibi obedire uelit, ob easq; causas studeat parare ea, quæ suppeditent ad cultum & ad uictum, nec sibi soli, sed coniugi, liberis, cæterisq; quos caros habeat, tueriq; debeat. Quæ cura excitat etiam animos, & maiores ad rem gerendam facit, imprimisq; hominis est propria ueri inquisitio atq; inuestigatio. Ita cum sumus necessarijs negocijs curisq; uacui, tum auemus aliquid uidere, audire, addiscere, cognitionemq; rerum aut occultarū aut mirabilium ad beate uiuendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod uerum simplex sincerumq; sit, id esse naturæ hominis aptißimum. Hinc ueri uidendi cupiditati ad-

tati adiuncta est appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene informatus a natura uelit, nisi præcipienti, aut docenti, aut utilitatis causſa iuste & legitime imperanti. Ex quo animi magnitudo existit, humanarumq; rerum contentio. Nec uero illa parua uis naturæ rationisq;, quod unum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, qui sit modus. Itaq; eorum ipsorum quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulcritudinem, uenustatem, conuenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioq; ab oculis ad animum transferens, multo etiam magis pulcritudinem, constantiam, ordinem in consilijs factisq; conseruandam putat, cauetq; ne quid indecore effœminate ue faciat. Tum in omnibus & opinionibus, & factis, ne quid libidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur & efficitur id quod quærimus honestum: quod, etiamsi nobilitatum non sit, tamen honestum sit: quodq; uere dicimus, etiamsi a nullo laudetur, laudabile esse natura. Formam quidem ipsam Marce fili, &c. De Finibus lib. 2. Homines enim, etsi multis alijs, tamen hoc a bestijs plurimum differunt: quod rationem habeant a natura menti datam, & acrem, & uigentem, celerrimeq; multa simul agitantem, & , ut ita dicam, sagacem, quæ & causſas rerum, & consecutiones uideat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemq; complectatur

ctatur uitæ consequentis statum. Eademq; ratio facit hominem hominum appetentem, cumq; his natura, & sermone, & usu congruentem, ut profectus a caritate domesticorum ac suorum currat longius, & se implicet primo ciuium, deinde omnium mortalium societati: atq;, ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli esse natum meminerit, sed patriæ, sed suis, ut perexigua pars ipsi relinquatur. Et quoniam eadem natura cupiditatem ingenuit homini ueri inueniendi, quod facillime apparet, cũ uacui curis etiam quid in cœlo fiat, scire auemus: his imitijs inducti, omnia uera diligimus, id est fidelia, simplicia, constantia, tum uana, falsa, fallentia odimus: ut fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum & magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum: omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam leuia ducens, altum quiddam & excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper inuictum. Atq; his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur, & in eadem pulcritudine, & aptum ex illis tribus, in quo inest ordo & moderatio, cuius similitudine perfecta in formarum specie ac dignitate, transitum est ad honestatem dictorum atq; factorum. Nam ex ijs tribus laudibus, quas ante dixi, & temeritatem reformidat, & non audet cuiquam aut dicto proteruo aut facto nocere, uereturq; quicquam aut facere aut loqui quod parum uirile uideatur. Habes undiq; exple-

expletam & perfectam Torquate, formam honestatis, & cætera.

Sed & Isocrates in Panegyrico docuit fieri posse, ut eadem alijs uerbis, aliaq; forma orationis, denique idem ut multipliciter dicendo efferatur. Quem locum traductum in linguam Latinam recitare uisum: Præterea si non possent eædem res explicari aliter, quam una orationis forma, suspicari liceret, ineptum esse me, qui cum simili oratione uterer eorum qui ante me dixere, tædio afficerem auditores. Verum cum ea sit orationis natura, ut nihil obstet, quo minus eadem multifariam explicet, & grandia deprimat, & magnitudinem addat paruis, & uetera exponendo renouet, & de ijs quæ modo acciderunt ueterem elocutionem usurpet: non iam fugienda oratio earum rerum, quibus de rebus prius alij uerba fecere: sed opera danda est, nos ut bonitate dicendi illos uincamus. Ea enim quæ gesta sunt, communia sunt omnium. At apte illis uti, quæq; oportet de singulis excogitare, eaq; uerbis bonis distinguere, id uero proprium opus prudentiæ est.

Verum dubium esse non potest, quin si quis de alia lingua bene dicta atq; composita transferat, is operæ precium quod sit facturus sit maxime. Nam neque uerba similia quærenda, neq; figura eiusdem sermonis apta cum alia permutanda, & facultas paritur semper noua quædam, & copia maiore instruitur oratio. Quapropter qui Græca didicerint conuer-

sionibus scriptorum Græcorum, quæ quidem probata fuerint, in primis studebunt: de quo dictu incredibile, quantos quamq; celeres progressus eruditionis huius facturi sint.

Iam uero, ut diximus, paraphrasi aliena inuenta dilatari, ita huc referri posse existimo, & eam quam Græci uocant ἐπιτομὴν, quæ dictorum capita & summas complectitur, quales Florianæ sunt scriptorum Liuij, & aliæ aliorum. Hoc & ipsum tentare non omittemus, nam & autorum sententiæ animo exquisite tum erunt comprehendendæ, & sæpe diserta breuitas non solum iuuat, sed plane requiritur atq; expetitur. Extat autem admodum illustre exemplum breuitatis huius, in dialogo qui inter Lucianicos relatus est, περὶ κάλλους. In quo sunt Isocratea de Helenæ encomio ἐπιτετμημένα, etsi alicubi etiam quasi augentur. Nos autem utrunq; locum more nostro in Latinum conuertimus: sed Græca qui uolent, (debebunt autem omnes studiosi bonarum artium uelle) ipsi requirent, atq; legent.

EX ORATIONE QVAE Luciano ascribitur, περὶ κάλλους, id est de forma.

Veteribus etenim temporibus Ioue genita Helene, ea fuit in admiratione apud omnes mortales, ut nondum maturam ætate cum conspexisset Theseus, qui

qui forte in Peloponnesum negociorum suorum gratia uenisset, ita captus fuerit forma illius, ut neq; in regno potentißimo, neq; fama haud uulgari uiuendum sibi esse duceret, si illa esset carendum: utq; existimaret, hac se potitum, felicitate facile omnes superaturum esse. In hac persuasione, non censuit petendam hanc a patre, quippe qui nondum nubilem daturus minime uideretur: contemtaq; ac despecta potentia illius, neq; territus difficultatibus ullis, quæ obijci in Peloponneso sibi possent, assumtoq; rapinæ socio Pirithoo, ui ademtam patri in urbem Atticæ Aphidnam asportauit. Pirithooq; eam gratiam habuit ob societatem istam; ut maximo illum amore complecteretur, utq; posteritati exemplum relinqueret amicitiæ, suam & Pirithoi coniunctionem. Cum autem huic proco filiæ Cereris ad inferos descendendum esset, posteaquam de proposito illum deducere crebris monitionibus conatus fruſtra fuerat, socium sese ei adiunxit: hanc debitam illi gratiam referendam esse ratus, ut uitæ pro ipso periculum adiret. Helena autem Argos reducta, rursum absente Theseo, & iam matura uiro, quamuis Græciæ principes haberent quas ducerent uxores & forma & genere præstantes in Græcia, communiter tamen illi huius nuptias petiere, despectis alijs ut futilioribus uniuersis. Quia uero non fugiebat illos, certaminis Helenam causſam fore, & ideo metuebant, ne contentione inter aliquos exorta, bellum in

Græcia excitaretur, iurarunt iusiurandum consensu omnium tale: CVI Helena obtigisset, illi se contra iniuriam & uim affuturos, cum unusquisq; hoc sibi auxilium comparare se confideret. Verum opinione quidem sua falsi omnes præter Menelaum, fidem autem datam communiter haud fregerunt. Nam paulo post contendentibus de forma Deabus, iudicium permittitur Paridi filio Priami. At ille uictus corporum diuinorum pulcritudine, ad dijudicanda munera compellitur. Cumq; offerret Iuno Asiæ imperium, gloriam autem belli Minerua, Venus uero Helenæ nuptias: ipse sæpe nihili quoq; hominibus non minora regna contigisse ratus: Helena autem neminem qui postea natus esset dignum habitum, alijs omnibus huius nuptias præposuit. Orto autem bello, & illa celebri expeditione aduersus Troianos, qua primum Europa Asiam petijt, cum liceret Troianis restituta Helena tenere sua quiete, Græcis uero relicta illa belli incommodis liberari, neutris ita uisum est, in opinione non aliam speciosiorem caussam belli reperiri posse, quam ob caussam mori uelle deberent. Quin etiam dij filios suos cum interemtum iri non nescirent, tamen non abstraxerunt a bello hoc, sed ad illud potius incitarunt: quod non magis glorioſum ipsis crederent, dijs procreatos esse, quam pro Helena dimicantes occubuisse. Quid ego uero deorum filios commemoro? cum ipsi inter se tunc maius prælium commiserint, quam

quon-

quondam in bello aduersus Gigantes gesto. In hoc enim ipsi alios, in illo sese mutuo oppugnauerunt. Quo quod nam argumentum fuerit euidentius, longe rebus humanis omnibus præstare formam, uel dijs ipsis iudicibus? Cum enim sola de forma, ac nulla ob rem aliam comperiantur discordiæ inter ipsos extitisse unquam, an non omnibus illi suffragijs formam uniuersis alijs præferre uideantur, qui non solum filios suos huic addixerint, sed ipsi etiam arma ceperint, atq; aliqui uulnera quoq; in hoc certamine senserint?

EX HELENES ISOcrateo Encomio.

Principio Theseus, uerbo quidem Aegei, re autem uera Neptunni filius conspicatus Helenam, ut nondum adultam, ita iam longe alijs uirginib. præstantem, usq; adeo uictus forma illa, is qui alia uincere consueuisset, ut & patriam clarissimam & potentissimum regnum non dignum esse putaret, ubi uitam in bonorum copia, sine consuetudine illius ageret: quia non potuerat ab ijs in quorũ potestate erat, hanc obtinere, qui & uirginem ætate confirmari, & oraculum Pythij expectare uellent, despecto imperio Tyndarei, contemtoq; robore Castoris ac Pollucis, neq; ullis quæ a Lacedæmonijs obijci possent difficultatibus territus, ablatam ui in urbem Atticæ

Aphidnam asportauit. Eamq; habuit Pirithoo socio illius rapinæ gratiam, ut uolentem petere nuptias filiæ Iouis ac Cereris, & itineris ad inferos aduocantem ipsum socium, posteaquam nullis monitionibus a proposito auertere eum potuit, manifestum ad discrimen tamen secutus sit. Ratus hoc rependendum periculis ijs, quæ Pirithous dudum adijsset secum, nihil ut detrectaret quod ille imperasset. Quod si esset is qui hæc gesßit unus de uulgo, ac non potius ex longe præstantißimorum numero, minus liqueret utrum hæc laus esset Helenæ, an potius Thesei accusatio. Nunc uero cæteros omnes qui fama celebrantur, reperimus alium fortitudine, alium sapientia, alium alia parte uirtutis caruisse, hunc uero solum nulla destitutum, sed integra & plena uirtute præditum fuisse. Ac placet de hoc paulo etiam copiosius disserere. Hanc enim esse certißimam fidem existimo laudum Helenæ, si ostendamus, eos qui hanc amauerint & suspexerint, admiratione maxima dignos esse. Ea sane quæ nostris usu uenere temporibus, licet dijudicemus pro arbitrio animorum nostrorum: de tam priscis uero, æquum est ut consentientes ijs inueniamur, qui illis temporibus prudentißimi habiti sunt. Hoc autem habeo pulcerrimum de Theseo commemorare, quod ijsdem temporibus, quibus Hercules natus, perfecerit, ut famæ claritatem non minus quam ille uendicare sibi posset. Non enim solum ijsdem armis exornati ambo, sed paribus etiam studijs dediti fuere, ita ut con-

ut consanguineos decuit. Itaque de duobus procreati germanis, Ioue atque Neptuno, germanas etiam cupiditates habuere. Soli enim hi priorum, athletas se ad defendendam hominum uitam esse uoluerunt. In quo euenit, ut alter illustriora & maiora, alter utiliora, & Græcorum magis propria adiret pericula. Nam Herculi Eurystheus imperauit, ut boues ex Erythia adduceret, & apportaret mala Hesperidum, & Cerberum ex inferis attraheret, atq; istiusmodi labores alios, qui non tam utilitati alijs, quam ipsi discrimini futuri essent. At Theseus, qui alium dominum non haberet, ea certamina delegit, quib. aut totam Græciam, aut patriam saltem suam adiuuasse perhiberetur. Ac Taurum illum immissum a Neptunno, & regionem illam populantem, cum quo nemo omnium congredi auderet, domuit solus, magnoq; metu & sollicitudine ingenti ciuitatem liberauit. Postea socius Lapitharum bello Centauros, genus illud duplex, adortus, qui freti præstantia celeritatis atque uirium & audacia sua, alias urbes uastarant, alijs imminebant, alijs minabantur: Eorum igitur ille prælio uictorum, statim repressit petulantiam, paulo q; post totum genus illorum deleuit. Eodem tempore monstrum nutriebatur in Creta, natum ex Pasiphaa Solis filia, cui ciuitas tributum pendere ex oraculo soleret bis septenos liberos. Eos conspicatus cum deducerentur, prosequente omni populo ad mortem iniquam & certam: cumq; adhuc uiuentes

lugerentur, tanta indignatione fuit commotus, ut iudicaret mori satius esse, quam uiuere turpiter in eius urbis imperio, quæ tam miserabile hostibus tributum cogeretur persoluere. Itaque socius esse uoluit nauigationis illius, superatoq; genere commisto de homine & boue, ita quidem robusto, ut esse debuit in compositione talium corporum, & conseruatos pueros restituit parentibus, & ciuitatem tam iniquo sæuoq; ac graui imperio liberauit. Quæ autem restant dubitare faciunt me quid de ipsis agendum sit. Cum enim peruentum iam sit ad res gestas a Theseo, de quibus dicere incepi, has quidem relinquere uereor interim, & præterire scelera Scironis ac Cercyonis, aliorumq; similium, quibus se opposuit Theseus, multisque & magnis calamitatibus Græcos liberauit. Verum sentio intempestiuius ad hæc deferri, metuoque ne quis existimet hac in parte me uersari studiosius, quam in proposito argumento. Hanc igitur ex his ambobus electionem sequar, ut & omittam plurima propter fastidium audientium: deq; alijs ut quam potero breuissime disseram, in quorum altero illis, in altero mihi ipsi gratificaturus sum, neque prorsus cedam ijs quibus in more est inuidere alijs, & nulli non orationi obstrepere. Theseus itaq; fortitudinem declarauit suam, ijs rebus quas ipse gessit periculo suo: scientiam uero rei militaris, ijs in prælijs quorum certaminum particeps tota ciuitas fuit: At pietatem erga deos,

in Adra-

in Adrasti & liberorum Herculis supplicationibus, Quorum hos uictis Peloponnesijs conseruauit, illos uero mortuos ad Cadmeam ui ereptos Thebanis sepulturæ mandauit: Alias autem uirtutes & moderationem, cum in ijs quæ retulimus, tum uero in constitutione ciuitatis. Nam cum animaduerteret eos qui per uim obtinere imperium in ciues quærerent. seruos esse aliorum: quicq; aliorum uitam periculis subijcerent, eos in formidine suam degere, cogiq; ad bella, quæ partim cum hostibus gerant adiunctis ciuibus, partim cum ciuibus adiunctis alijs quibusdam. Præterea spoliare delubra deorum, interficere optimates in ciuitate, diffidere familiarissimis, neq; lætiorem uitam uiuere quam in carcere solent capitis rei: Sed foris quidem beatos uideri: apud sese uero magis miseros esse, quam ullos alios. Quid enim est grauius, quam uiuere in perpetua formidine necis, quem aliquis astantium inferat? & in pari semper cautione erga custodes ac insidiatores? His tum omnibus contemtis, cum non pro principibus tales haberet, sed pro pestibus ciuitatum, declarauit non esse difficile simul regnare aliquem, simul non deteriore in loco esse, quam ij sint, quorum æquabilis est administratio. Ac primum dissipatam ciuitatem, quod in pagis habitaretur, congregauit, effecitq; tantam, ut nunc quoq; ex illo usq; tempore Græcarum sit ciuitatum maxima. Postea uero communem attribuens eam patriam uniuersis, & assertis in libertatẽ animis

ciuium,

ciuium, æqualem reddidit de imperio contentionẽ illorum. In fiducia autem, se non minus antecellere posse accurate sese exercentib. quam desidibus præstitisset: cumq; non ignoraret, honores esse iucundiores quos conferrent excelsis animis præditi, ijs quos a seruientibus aliquis consequeretur, tantum abfuit ut aliquid ageret inuitis ciuibus, ut etiam summam rerum in populi esse potestate uoluerit. At hi solum ipsum imperium tenere maluerunt, quod arbitrarentur minus infidam magisq; popularem illius esse dominationem unius, quam populi communem administrationem. non enim, ut quidam, ipse laboribus alijs impositis, solus fruebatur commodis: sed pericula potius sua faciebat, emolumenta autem conferebat in commune uniuersis. Ideoq; uitam sic traduxit, non ut insidijs peteretur, sed ut amore comprehenderetur: neq; ut externis uiribus imperium muniret, sed ciuium, ut beneuolentia tanquam satellitum præsidio uteretur, fuitq; potestate quidem rex, sed beneficentia populi princeps. Ita enim iuste, itaq; præclare ciuitatem rexit, ut nunc quoq; in morib. aliquod extet uestigium mansuetudinis illius. Quapropter quis non hanc, & Ioue genitam, & uictricem tantæ uirtutis atq; moderationis, laude honoreq; dignam, ficieq; præstitisse omnibus mortalib. existimet? neque enim poterit produci uel testis sanctior, uel iudex melior bonorum Helenes, quam Thesei sententia. Sed ne uidear in eodem hærere loco penuria dicendorum, &

abutens

abutens unius uiri fama ipsam celebrare laudibus per-
sequar nunc deinceps & reliqua. Cum enim Theseus
ad inferos descendisset, reuersaq; illa Lacedæmona,
iam ea esset ætate, ut nuptum dari posset, uniuersi qui
tum regna obtinebant, & præerant ciuitatib. in ea-
dem fuere sententia de Helena. Nam cum liceret illis
de suis ciuitatib. primarias ducere uxores, despectis
domesticis nuptijs, ad illius nuptias petendas conue-
nerunt. Incerto autem adhuc coniugij euentu, &
fortuna communi, plane apparebat cunctis certami-
nis illam caussam fore. Quare conuenere omnes, &
inter se fidem dederunt. AVXILIO se futuros
contra uim si eriperetur hæc ei, qui illa dignus iudica-
tus fuisset, quisq; cum sibi illam se opem comparare
crederet. Atq; illos quidem sua quenq; spes frustrata
præter unum omnes fuit: sed quam de illa opinionem
habuissent communem, ea fefellit neminem. Non enim
longo tempore elapso, orta inter Deas de forma con-
tentione, cuius iudex captus Alexander Priami filius,
cum huic offerret Iuno totius Asiæ regnum, Minerua
autem bellorum uictoriam, Venus uero nuptias Hele-
næ, ille uictus Dearum aspectu, corporumq; dijudica-
tione necessario omissa, & ad munerum æstimatio-
nem compulsus, Helenæ consuetudinem prætulit alijs
omnibus, non quidem uoluptatum respectu ductus, etsi
multi prudentes uiri non aliud facile pluris facere so-
lent: sed ille tamen hanc in partem non fuit delatus:
uerum hoc concupiuit, Iouis ut esset & appellaretur

gener:

gener: hunc honorem maiorem & speciosiorem arbitratus, quam regnum esset Asiæ. Intelligebat etiam fieri posse, magna regna magnaq; potentia ut nihili aliquando hominibus obuenirent, tali autem muliere dignum ex omni posteritate habitum iri neminem. Præterea non relicturum se splendidius patrimonium liberis suis censebat, quam si hoc perfecisset, ut paternum maternumq; a Ioue ducerent genus. Non enim illum fugiebat, cum felicitates aliæ celeriter conuerterentur, generis nobilitatem permanere semper. Itaq; futuram bono hanc electionem toti generi suo, alia autem munera ad tempus: modo uitæ suæ duratura. Hanc rationem, qui sapiat, reprehenderit nemo. Sed eorum qui non considerant causas rerum, & euentus solummodo spectant, iam quidam huius uituperatores reperti sunt: quorum amentiam, ex maledictis facile est cuiuis perspicere. Nunquid enim faciunt in primis ridicule, quod suam naturam præstantiorem esse existimant, illa quam dij alijs prætulere? Non enim certe eius rei, de qua tam ambitiose contenderent, cognitionem uulgari alicui iudici permisere: sed tantum scilicet studium præstantissimum iudicem deligendi, quanta rei ipsius cura fuit. Aequum est autem considerare & exquirere qualis fuerit, non de iracundia repulsarum, sed de communi sententia omnium, qua in illius cognitionem consenserunt. Quid enim prohibet, quo minus a potentioribus malo uel innocentissimi afficiantur? At ho-

At honorem talem, ut iudex deorum qui mortalis esset, constitueretur, contingere potuisse incredibile, non longe omnibus sapientiæ laude præstanti. Mirum autem, putare aliquem non recte consuluisse illum, qui cum hac uiuere uellet, pro qua multi heroes mortem oppetere non dubitarunt. An uero non desiperet, si tam ambitiose contendentes de forma deas uidens, ipse formam despiceret: ac non potius præclarissimum munus iudicaret, id quod tantæ illis curæ esse cerneret? Quis uero Helenæ negligeret nuptias? Qua rapta non minorem accepere dolorem Græci, quam si tota Græcia uastata esset. Barbari uero ita animis elati fuere, ac si nos omnes uicissent. Atq; hinc planum fit, quomodo tum fuerint animati. Cum enim multas haberent aduersus se postulationes, ad alias omnes ocioſi, ob unam hanc tantum bellum conflauerunt, non modo iræ magnitudine, sed spacio etiam temporis, & apparatus copia, quantum susceptum nullum fuit unquam. Et poterant illi reddita Helena, præsentibus malis liberari: hi uero neglecta, reliquum tempus in securitate transigere. Sed neutris hæc placuere. Illiq; potius & oppida euerti sua, & regionem uastari, quam Græcis Helenam restituere uellent, passi sunt: hi uero statuerunt perseuerare & consenescere in externo solo, neq; tantopere conspectum suorum desiderarunt, ut relicta illa redirent in patrias suas. Atq; hæc egerunt non studio Alexandri, neq; Menelai:

lai: sed illi pro Asia, hi pro Europa stetere, quod existimarent eas terras feliciores futuras esse, in quibus Helenæ corporis sedes fuisset. Tantus autem amor laborum & expeditionis illius inuasit non Græcos modo & barbaros, sed ipsos etiam deos, ut ne suam quidem sobolem abstraxerint a Troianis certaminibus, cum Iuppiter fato Sarpedonis præuiso, & Memnonis Aurora, & Cygni Neptunnus, & Achillis Thetis, hos tamen excitauerint, & miserint ad bellum: quod speciosius illis esse ducerent, uel mori dimicantes pro Iouis filia, quam uiuere expertes periculorum, quæ pro illa adirentur. Quid autem est cur miretur aliquis hanc de sobole sua sententiam illorum: cum ipsorum tum maior & horribilior fuerit instructio, quam aduersus Gigantes fuisset. Nam hos oppugnauerunt coniuncti inter se, de illa uero ipsi inter se bellum gessere. Neq; temere dis hæc ita uisa sunt, & ego recte possum tantopere extollere. Maxima enim illi formositatis pars obtigit, quæ est ueneratione & honore dignissima, & plane diuinissima res rerum omnium.

Licet autem in hoc exemplo cernere, quam ille posterior, quisquis fuit, qui Isocratea in suum scriptum traduxit, quædam nequaquam meliora fecerit, quod conatus uidetur esse, ac de quibusdam potius bonitatis aliquid detriuerit, non enim dicam asperius. Quapropter in hac parte etiam religio usurpanda, ne speremus meliora nos facturos ea quæ omni laude humano

ingenio

ingenio parabili perfecta sint: quæ mutata quacunq; ratione, deprauari necesse est. Itaq; & Isocrates uenerandos & suspiciendos censet esse eos, qui sic dicant, nemo ut similiter poßit dicere,

τοὺς οὕτως ἐπισταμένους εἰπεῖν, ὡς οὐδεὶς ἂν ἄλλος δύναιτο.

Sed de his satis.

IMITATIONIS EXercitium.

HVc adiungatur & illud imitationis exercitium, nam & ad hanc in spe atque proposito ueritatis, a primis statim annis assuefaciendi sunt, destinati bonis literis, atq; studio humanitatis. Id autem est, cum propositum aliquem illustrem, uel breuiorem, uel longiorem locum autoris optimi alicuius, eumq; uel totum atq; integrum, uel in partes diuisum, in aliam rem aliudq; argumentum deducimus, ut diuersa in expositione similitudo constantißime seruetur, cum uerbis tum sententijs, atq; ordine ac compositione, cuius rei unum aut alterum exemplum postea subijciemus. Nunc inceptam doctrinam παραφράσεων concludamus. In hoc igitur, ut Ciceroni & Fabio quoque uisum, primas tenet utilitatis & cuiusdam fructus uberrimi, conuersio atq; translatio Græcorum scriptorum in Latinam linguam. Quare quibus contigit sermonis Græci noticia, in hoc potißimum, & singulari cum studio elaborare, atq; non

solum de Græcis Latina, sed contra de Latinis quoq; Græca facere debebunt. Cuius & ipsius conatus exempla in sequentibus a nobis proponentur: conuersionum uero formulæ, traductis Græcis in Latina nunc exponentur.

Ac primum referamus locum Platonis, quem Cicero se ita dicit conuertisse, ut uerba exprimeret Platonis, in primo de Diuinatione: Vide quid Socrates in Platonis Politia loquatur, dicit enim, cum dormientibus ea pars animi quæ mentis & rationis est particeps, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit atq; agrestis immanitas, cum sit immoderato tumefacta potu atq; pastu, exultare eam in somno, immoderateq; iactari. Itaq; huic omnia uisa obijciuntur a mente ac ratione uacua, ut aut cum matre corpus misceri uideatur, aut cum quouis alio homine uel deo, sæpe belua, atq; etiam trucidare aliquem, & impie cruentari, multaq; facere impure atque tetre, cum temeritate atque impudentia. At, qui salubri & moderato cultu, atque uictu, quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis & consilij est, agitata & erecta, saturataq; bonarum cogitationum epulis: eaq; parte animi, quæ uoluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, quorum utrunque præstringere aciem mentis solet, siue deest naturæ quippiam, siue abundat atq; effluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atq; restincta: tum eueniet duabus temerarijs animi parti-

partibus compreßis, ut illa tertia pars rationis & mentis eluceat, & se uegetam ad somniandum acremque præbeat, tum ei uisa quietis occurrent tranquilla atq; ueracia. Plato ita:

πολιτειῶν θ'. ὅταν τὸ μὲν ἄλλο τῆς ψυχῆς εὕδῃ, ὅσον λογιστικὸν καὶ ἥμερον, καὶ ἄρχον ἐκείνου, τὸ δὲ θηριῶδες τε καὶ ἄγριον ἢ σίτων ἢ μέθης πλησθὲν, σκιρτᾷ τε καὶ ἀπωσάμενον τὸν ὕπνον ζητεῖ ἴεναι καὶ ἀποπιμπλάναι τὰ αὐτοῦ ἤθη, οἶσθ' ὅτι πάντα ἐν τῷ τοιούτῳ τολμᾷ ποιεῖν; ὡς ἀπὸ πάσης λελυμένον τε καὶ ἀπηλλαγμένον αἰσχύνης καὶ φρονήσεως, μητρί τε καὶ ὑπὸ χειρεῖν μίγνυσθαι, ὡς οἴεται, οὐδὲν ὀκνεῖ, ἄλλῳ τε ὁτῳοῦν ἀνθρώπων καὶ θεῶν καὶ θηρίων, μιαιφονεῖν τε ὁτιοῦν, βρώματος τε ἀπέχεσθαι μηδενός. καὶ ἑνὶ λόγῳ οὔτε ἀνοίας οὐδὲν ἐλλείπει, οὔτε ἀναισχυντίας. ὅταν δέ γε ὑγιεινῶς τις ἔχῃ αὐτὸς αὑτοῦ, καὶ σωφρόνως, καὶ εἰς τὸν ὕπνον ἴῃ, τὸ λογιστικὸν μὲν ἐγείρας ἑαυτοῦ, καὶ ἑστιάσας λόγων καλῶν καὶ σκέψεων, εἰς συνοίαν αὐτὸς αὐτοῦ ἀφικόμενος. τὸ ὑπὸ θυμητικὸν δὲ μήτε ἐνδοίᾳ δοὺς, μήτε πλησμονῇ, ὅπως ἂν κοιμηθῇ, καὶ μὴ παρέχῃ θόρυβον τῷ βελτίστῳ χαῖρον ἢ λυπούμενον, ἀλλ' ἐῶν αὐτὸ καθ' αὑτὸ μόνον καθαρὸν σκοπεῖν, καὶ ὀρέγεσθαι τοῦ αἰσθάνεσθαι ὃ μὴ οἶδεν,

ἢ τι τῶν γεγονότων, ἢ ὄντων, ἢ μελλόντων. ὡσάυτως δὲ καὶ τὸ θυμοειδὲς πραΰνας, καὶ μήτισιν εἰς ὀργὰς ἐλθὼν κεκινημένῳ τῷ θυμῷ καθεύδῃ, ἀλλ' ἡσυχάσας μὲν τὼ δύο εἴδη, τὸ τρίτον δὲ κινήσας, ἐν ᾧ τὸ φρονεῖν ἐγγίγνεται, οὕτω ἀναπάυηται, οἶσθ' ὅτι τ' ἀληθείας ἐν τῷ τοιούτῳ μάλιστα ἅπτεται, καὶ ἥκιστα παράνομοι τότε αἱ ὄψεις φαντάζονται τῶν ἐνυπνίων.

Item in Oratore Cicero ita: Est enim, ut scis, quasi in extrema pagina Phædri, his ipsis uerbis loquens Socrates: Adolescens etiam nunc o Phædre Isocrates est, sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem, inquit ille? Maiore mihi ingenio uidetur esse, quam ut cum orationibus Lysiæ comparetur. Præterea ad uirtutem maior indoles, ut minime mirum futurum sit, si cum ætate processerit, aut in hoc orationum genere cui nunc studet, tantum quantum pueris, reliquis præstet omnibus, qui unquam orationes attigerunt: Aut si contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora concupiscat. Inest enim natura philosophia in huius uiri mente quædam. Plato ita:

νέος ἔτι, ὦ φαῖδρε, ἰσοκράτης· ὃ μέντοι μαντεύομαι, κατ' αὐτοῦ λέγειν ἐθέλω. τὸ ποῖον δή; δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ σοῦ περὶ λυσίαν

εἶν

εἶν λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι δὲ ἤθει γενϊκωτέρῳ κεκρᾶσθαι. ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν περϊούσης τῆς ἡλικίας, εἰ περὶ αὐτούς τε αὐτοὺς λόγους οἷς νῦν ἐπϊχειρεῖ, πλέον ἢ παιδιῶν διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων. ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ὠθὶ μείζω δέ τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα. φύσει γὰρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ.

Quo loco etiam animaduertenda Ciceronis quædam in uertendo audacia, non enim quomodo illa, ἔτι τε εἰ αὐτῷ, & cætera, uerbis exprimeret, sed potius quam commode interpretaretur curauit.

In lib. de Legibus 2. est etiam paulo conuersus liberius Platonis de duodecimo νόμων locus. Ita enim Plato:

θήκας δὲ εἶν τῶν χωρίων ὁπόσα μὲν ἐργάσιμα, μηδαμοῦ, μήτε τι μέγα, μήτε τὶ σμικρὸν μνῆμα. ἃ δὲ ἡ χώρα πρὸς τοῦτ' αὐτὸ μόνον φύσιν ἔχει, τὰ τῶν τετελευτηκότων σώματα μάλιστα ἀλυπήτως τοῖς ζῶσι διεχομένη κρύπτειν, ταῦτα ἐκπληροῦν. τοῖς δὲ ἀνθρώποις ὅσα τροφὴν μητὴρ οὖσα ἡ γῆ πρὸς ταῦτα πέφυκε βούλεσθαι φέρειν, μήτε ζῶν, μήτε τὶς ἀποθανὼν στερείτω τὸν ζῶνθ' ἡμῶν. χῶμα δὲ μὴ χωννύναι ὑψηλότερον πέντε ἀνδρῶν ἔρ-

γου, ᾧ πένθ' ἡμέρας ἀποτελόμενον, λίθινα ἢ ξυλίνοις σήμασι μὴ μείζω ποιεῖν, ἢ ὅσα δέχεσθαι τὰ τοῦ τελευτηκότος ἐγκώμια βίου, μὴ πλέω τεσσάρων ἡρωϊκῶν σίχων.

Cicero ita: Sed uideamus Platonem, qui iusta funerum reijcit ad interpretes religionum, quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit hoc: Vetat ex agro culto, eo ue qui coli posit, ullam partem sumi sepulcro. Sed quæ natura agri tantummodo efficere posit, ut mortuorum corpora sine detrimento uiuorum recipiat, ea potißimum ut compleatur. Quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos suppeditare posit, eam ne quis nobis minuat, ne ue uiuus, ne ue mortuus. Extrui autem uetat sepulcrum altius, quam quod quinq; quinq; diebus absoluerint: nec a lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui incisam: nec plus quatuor Heroicis uersibus, quos longos appellat Ennius.

Etsi autem de his diligentes & studiosi animaduersores facile intelligere atq; notare poterunt rationem quandam transferendi, & paßim extant conuersiones Græcorum scriptorũ non spernendæ: nam, ut in rebus omnibus, plurimæ sunt malæ & futiles, non paucæ etiam turpes & nocentes, quas fugiendas uobis statuetis, corruptrices mirificas ueræ eruditionis: sed quamuis & ueterа et noua huius generis exempla bona suppeditent, & nos in superioribus multa Græca

tradu-

traduxerimus in Latinum sermonem, uisum tamen & hoc loco seruare morem meum, & subijcere quandam conuersionem, exempli loco, nostram.

DE ORATIONE DEMOsthenis falsæ legationis.

Cum expugnasset Olynthum Philippus, olympia celebrauit. Ad illa autem sacra & ludorũ conuentum omnes artifices cogregauit. Inter epulas autẽ & coronas, quibus honorabantur uictores, interrogauit comicum istum histrionem Satyrum, quam ob rem solus ipse nihil quod sibi fieri uellet, denunciaret? quam ue in me, inquit, illiberalitatem aut maleuolentiam erga te animaduertisti? cui ferunt Satyrum respondisse, nulla se re indigere earum quas alij peterent. Quod autem sibi fieri cuperet, Philippũ tribuere facile posse, & sibi mirifice gratificaturum esse, uereri tamen, ne non impetraret. Iussus autem eloqui, & audacius pollicente Philippo, nihil se non facturum, dixisse eum aiunt: Habuisse se hospitem & amicum Apollophanem Pydnæum: quo per fraudem necato, territos cognatos duas filias ipsius adhuc paruulas Olynthum clanculum transportasse. Nunc uero, Olyntho, inquit, expugnata, in captiuis illæ hic apud te assunt ætate nubili. Has a te peto, & oro ut mihi tradas. Volo autem te audire atq; cognoscere cuiusmodi me munere affecturus sis, si illas mihi tradideris: tali

nimirum, de quo nihil lucri sentiam, cum dotem dare & illas nuptum elocare decreuerim, neque pati ut uel ipsis, uel patre indignam fortunam subeant. Hæc cum audita a conuiuis essent, tantus plausus, & tantæ laudes, tantusque clamor exortus dicitur, quo & Philippus nonnihil affectus, uirgines tradiderit Satyro: quamuis hic Apollophanes unus esset de interfectoribus Alexandri, fratris Philippi. Conferamus nunc cum hoc Satyri conuiuio alterum horum Macedonicum conuiuium. Vocati enim hi ad Xenophrona filium Phædimi, qui unus de triginta uiris fuisset, illo se contulerunt: ego autem nolui. Postquam uero iam eo peruentum fuit ut potaretur, introducit ille mulierem quandam Olynthiam, formosam quidem eam, sed liberam & pudicam, ut exitus indicauit, hanc primum sic modeste cogebant isti, ut uidetur, bibere & comedere, ut Iatrocles mihi postridie narrauit. Procedente autem conuiuio, cumq; isti calerent, iusserunt recumbere, & aliquid etiam accinere. Ibi mulier mirifice perturbari, neque hoc facere uelle, neq; adeo scire. At iste & Phryno, contemtum hunc esse dicere, neq; ferendum, ut delicias faceret, dijs inuisorum & execrabilium Olynthiorum mancipium, atq; aliquis puerum accersit, Afferatq; aliquis, inquit, lora. Affuit cum scutica seruus. Et cum illi poti, ut opinor, leuissimis caussis iritarentur, atque illa diceret aliquid ac lacrimaretur, seruus direpta tunicula, multis uerberibus dorsum

sum affligit mulieris. Tum illa non magis compos mentis in malo, & horum facinore, exiliens ad genua procidit Iatroclis, & mensam subuertit. Quod nisi hic succurrisset huic, insania illam ebrietatis perdidisset.

Non libet inculcare hoc loco nostra exempla plura, cum aliena undiq; , & ea quidem præclarissima suppetant, atq; etiam nostra quædam in medio sint, deq; supra propositis exercitiorum generibus assumi huc, ut diximus, possint. Sed quod diximus etiam tentandum, ut de Latinis Græca faciamus: id propter linguæ utriusq; excellentem bonitatem, quo maior facultas illarum acquiri, & utraq; certius cognosci possit, diligenter est elaborandum, neque noxitas extimescenda, nec fugienda difficultas. Si quis autem se aliquod ingenij laudabile opus absque studio hoc, & sine istarum linguarum coniunctione elaborare posse confidit, is, mea quidem sententia, uehementer errat, certe huius nostræ doctrinæ discipulus esse non poterit. Incidi autem felicissimo auspicio ante annos aliquot, in conatum talem nescio cuius, non enim ascriptum nomen erat: sed hominis, ut facile apparet, & eruditi, & minime inepti, qui epistolam Ciceronis primam ad Lentulum in Græcam linguam conuertisset. Sunt & Gazæ conuersiones in manibus. Sed nos illam, quam fortuna nobis conseruauit, primum, deinde & nostram quandam referamus. Ac ne quid prorsus dissimulem, adiecta erat

hæc conuersio ad libellum de Senectute, quem transtulisse in Græcũ sermonem Gazam scimus, ut hoc quasi πάρεργον eiusdem autoris credi posse uideatur, de quo tamen, præsertim in dubitatione nostra, liberum cuiq; iudicium relinquimus. Est autem conuersio hæc:

ΚΙΚΕΡΩΝ ΛΕΝΤΟΥΛΩι.

Εγὼ τοῖς μὲν ἄλλοις ἅπασιν ἑκάστῳ τῶν καθηκόντων, μᾶλλον δέ τινι περὶ σὲ εὐσεβείᾳ ἐξαρκῶ, ἐμαυτῷ δὲ οὐδέποτε ἐξαρκέσαι ἔχω. τὸ γάρ τοι μέγεθος τῶν σῶν πρὸς ἐμὲ εὐεργεσιῶν τηλικοῦτόν ἐστιν, ὥστ' ὅτι σὺ μὲν οὐ πρὶν τὰ πρὸς ἐμὲ πεπαυμένος ἡσυχίαν ἀγάγοις, ἢ τοῦ ὅλου συντελεσθέντος πράγματος, ἐγὼ ἢ ταυτὸ τοῦτο περὶ τὴν σὴν οὐκ ἐργάζομαι ὑπόθεσιν, πικρόν τινα τοῦ βίου ἐμαυτῷ ὄντα ὑπολαμβάνω. τὰ δὲ περὶ τὸ πρᾶγμα ὧδέ πως ἔχει. Αμμώνιος ὁ τοῦ βασιλέως πρεσβευτὴς, χρήμασιν ἡμῖν διατελεῖ μαχόμενος ἐκ τοῦ προφανοῦς. πράσσεται δὲ διὰ τῶν αὐτῶν ἔτι, δι' ὧν δὴ καὶ ἡνίκα πρῶν σὺ ἐτύγχανεν, ἐκράσσετο πρότερον. τοῦ δὲ βασιλέως ἕνεκα, εἴ τινεν οἱ θέλοντες εἶεν, ὀλίγοι δ' εἰσί, πάντες οὗτοι εἰς πομπήιον μεταφέρειν ἀξιοῦσι τὸ πρᾶγμα. ἡ σύγκλητος δ' ἄρα τὴν περὶ τὴν θρησκείαν

διαβο-

διαβολῶ, ὁσιότητι μὲν οὐδεμιᾷ, δυσνοίᾳ δὲ καὶ φθόνῳ τῆ βασιλέως πολυδωρίας ἐπαινοῦσι σωφρονεῖν δοκεῖται. τῶμπιον δὲ προτρέπειν τε καὶ ἀντιβολεῖν, καὶ ἐλευθερώτερον ἤδη καὶ παῤῥησίᾳ, εἴ τι καὶ παραινεῖν ἵνα τοσούτων δυσφημίαν φεύγῃ, οὐ παυόμεθα. ὁδὶ ἄντικρυς οὐδενὸς, οὗ ἕνεκα δεόμεθα, οὗ ἕνεκα παραινοῦμεν τυγχάνει λαμπόμενον. τὸ γὰρ, τὸ μὴ ἐν τοῖς καθ' ἡμέραν λόγοις, τὸ δ' ἐν τῇ συγκλήτῳ ἀφῶς ὅτῳ τὰ περὶ τῶν σῶν ὑπόθεσιν ἠγωνίσατο, ὥστε μήθ' αὖ ὑφειμένως, μήτε σεμνότερον, μήτε περιττουσιάστερον, μήτε μᾶλλον φιλονεικότερον μηδένα ἂν ἀγωνίσασθαι, καὶ σοὶ μεγάλη δίκη τινὶ τῶν σῶν περὶ αὐτὸν εὐεργεσιῶν, καὶ τῇ αὐτοῦ πρὸς σὲ φιλίας διαμαρτυρήσει. μάρκελλον δὲ ὀργισικῶς τὰ πρός σε ἔχοντα οἶδα δίκη τοῦ, ὅτος δίκη πλεῖστ' τοῦ βασιλέως ὑποθέσεως τῆ λεπτὰ πάντα οἱ τᾶλλα σωφρόνως τῶν λειποτάτων ἔσεσθαι ἀποφαίνει. ὃ μὴ οὖν δίδωσι λαμβάνομεν, ὃ δὲ περὶ τῶν ὁσίων ἔγνω ἀνεγνωκέναι, καὶ πολλάκις ἤδη ἀνήνεγκεν, ἐχοῖμεν τε ἀπ' αὐτοῦ μεταθέσθαι. πέπρακται μὴ πρὸ ἀδῶν ὧδε. ταυτὶ γὰρ τᾶις ἀδοῖς γέγραφε ἑωθεν. ἡ μὴ ὀρτησίου καὶ λυκόμου

κόλλου καὶ ἐμὴ γνώμη, τοῖς ὁσίοις ὑπεῖξε τὰ
περὶ τὸ στρατόπεδον. ἄλλως γὰρ ἀντέχεσθαι
τοῦ πράγματος οὐχ οἷόν τε. ἡ βουλὴ δὲ προ-
βουλεύματι τῷδ' γενομένῳ σοῦ ἀναφέρον-
τος, σοὶ τὴν τοῦ βασιλέως ψηφίζεται κάθο-
δον. ὥστε ταύτη αὖ εἴη σοι μόνον δεόντως πρᾶ-
ξαι, εἰ μὴ στράτευμα τὰ ὅσια ἀφαιροῖτο, σὲ δὲ
ἡ βουλὴ περιποιοῦσα αὐθέντην χειροτονοίη.
Κράσσος πρέσβεις αἱρεῖται τρεῖς, οὐδέτι πομ-
πήιον ἔξω τίθησι. καὶ γὰρ εἶναί τινα τῶν ἡγε-
μονευόντων οὗτός γε ἀξιοῖ. βίβολος δὲ τῶν ἰ-
διωτευόντων τρεῖς ἀποφαίνεται. τούτῳ δὲ
συμφέρονται οἱ λοιποὶ τῶν ὑπατικῶν ἅπαν-
τες, πλὴν σερβιλίου, ὃς οὐδ' ὅλως κατάγειν φη-
σὶ δεῖν. καὶ πλὴν βουλκατίου, ὃς λύπου ἀναφέ-
ροντος ψῆφον τοῖς περὶ πομπήιον τίθεται.
καὶ πλὴν ἀφρανίου, ὃς σύμψηφος βουλκα-
τίῳ ἐστί. τὸ δὲ τοιοῦτο καὶ τὰ τῶν πομπηίου γνώ-
μης ὕποπτα ἐπαυξάνει. ἦν γάρ τοι προσέχου-
σι καὶ τοὺς αὐτοῦ πομπηίου οἰκείους βουλκατίῳ
προστιθεμένους ὁρᾷν. πολὺς δὴ πάνυ ἐνέστηκε
πόνος, καὶ τὸ πρᾶγμα γέγονε ἑτεροῤῥεπές.
ἡ λείβωνος δὲ καὶ ὑψαίου οὐκ ἀφανὴς σύνοδος
καὶ φιλονεικία, καὶ ἡ πάντων τῶν πομπηίου σπου-

δὴ καὶ

δὴ καὶ πρᾶγμα, ἀς τοῦθ' ὑπολήψεως τὸ πρᾶγμα δὴ ἦγαγον, ὥσε πομπήιον αὐτῷ γλίχεσθαι λοιπὸν τὰ περὶ τὴν ἀθροδοκον διοικῆσαι. οἱ δ' οὐκ ἂν βούλοιντο τοῦτο, οἱ αὐτοὶ οὗτοι σοι οἰκέως οὐκ ἔχουσιν, ὅτι διακοσμικῶς τὰ περὶ αὐτὸν ἔιης. ἡμᾶς δὲ τοῦτο περὶ ἔλασσον περὶ τὴν ὑπόθεσιν ἀξίωμα ἔχομεν, ἢ πλείονων σοι ὑπόχρεω ὄντες δοκοῦμεν. τὸ δὲ τῆς ἡμετέρας γνώμης δυ χάρισον ἢ τῷ ἀνθρώπῳ ὑποψία, οἱ τοῖς περὶ πομπήιον χαρίζεσθαι ἂν ὅτως οἴονται, ἀφανίζει. καθάπερ δέ τοι καὶ πολλῷ πρὶν ἀποκεχωρηκέναι σε ἐνθάδε, πρῶτα μὲν περὶ αὐτοῦ βασιλέως καὶ τῶν πομπήιε οἰκειοτάτων καὶ σωφρονεστάτων ὑπουλα γέγονεν, ἔπειτα δὲ πρὸς τῶν ὑποπικῶν ὀξελήλαται, καὶ ὡς φθόνος προῆκται ἔχατα, ὅτω ἐμοὶ ἐν τοῖς πράγμασιν διατρίβομεν. τὰ δὲ ἢ ἡμετέρας πίστεως καὶ πρός σε ἀπόνοιας σοφῆς, οἱ δ' γνώσονται εὖ μάλα πρόντες. ἃ δὲ τί ποτ' ἦν πιστὸν ἐν οἷς τὰ μάλιστα ἐμὲν ἔχρῃν, ὃ πάντ' ἂν εἰπονδ' ἂν

Sequitur noſtrum quoq; exemplum narratiunculæ facti cuiuſdam Maximiliani Imperatoris.

Maximilianus Imperator, qui eſſet omnium de quibus fando audiuimus, liberaliſſimus, maximuſq; pecuniæ contemtor, multos putatur non bene inſtituiſſe

tuisse facilitate hac sua, qui non modo regni prouentus ad se conuerterent, sed ipsius etiam arcas compilarent. Morem hunc ille habebat, ut ante cœnam manus cum lauaret, alicui de astantibus detractos annulos traderet seruandos, donec detergeretur. Inter hos erat unus nequaquam contemnendus uir, sed auarior. Is igitur cum annulos accepisset, quasi re magna & necessaria oblata, interea dum lauabat rex sæpius discedere, & aliquanto post referre annulos, quasi re confecta: sæpe serius, tanquam negocijs distracto animo illorum oblitus. Tandem non animaduersum iri furtum sperans, aliquos retinere, neq; unquam referre uniuersos. At Imperator simulabat se non sensisse. Tum iam ille retinere annulos audacius. Quodam tempore, cum manum ut acciperet ab Imperatore lauaturo porrexisset, retraxit suam ille, atq; abnuit se daturum, sine quidem conuicio, cum hoc modo diceret: Se ante quoq; illi annulos dedisse, quos ad eum usq; diem nondum retulisset: quare se amplius fidei illius periculum facere non uelle. Risu autem exorto, & isto erubescente, tanquam qui manifesto teneretur, oculosq; in terram defigente: Bonum, inquit Imperator, animum habe, iam enim auarum & gemmæ uilescunt copia, quam istæ Indicæ insulæ suppeditant, ut confici alij annuli facile possint, quibus mox paratis, iterum & tu licet accipias.

Conuersio Græca.

Βασιλεὺς

Βασιλεὺς Μαξιμιανὸς, πάντων ὧν ἀκοῇ ἴσμεν ἐλευθεριώτατος γενόμενος, καὶ ἐν οὐδενὶ πώποτε λόγῳ τὸν χρηματισμὸν πεποιηκὼς, πολλοὺς τινας οὐ πάνυ καλῶς ἐπαίδευσε τῇ περὶ ταῦτα πραότητι καὶ ἀμελείᾳ, τῶν οὐ μόνον συσκευασάντων τὰ τῶν προσόδων τῆς Βασιλείας αὐτοῦ, ἀλλ' ἤδη καὶ τὸν κόσμον, καὶ τῶν ἀγρθέτων χρημάτων τὰ προφερόμενα συλησάντων. εἴωθε δὲ ὦν δεῖπνον κατακοισόμενος, καὶ ὕδατος κατὰ χειρὸς διδομένου ἀείπου, ὡς εἰκὸς, καθελὼν τοὺς δακτυλίους τῶν περιισταμένων τινὶ ἐγχειρίσαι, μέχρις οὗ ἀπομάττεσθαι. τῶν δὲ λαμβανόντων εἷς, τἆλλα μὲν ἀνὴρ οὐ φαῦλος ὤν, πλεονέκτης δὲ, προφέροντος αὐτῷ τὴν χεῖρα τοῦ Βασιλέως, καὶ διδόντος τοὺς δακτυλίους, λαβὼν, καὶ προσποιούμενος σπουδαῖόν τι πρᾶγμα καὶ ἀναγκαῖον ὦν κεῖσθαι αὐτῷ, μεταξὺ τοῦ Βασιλέως νιπτομένου προχάζων ἀπῄει. ὕστερον δ' ἐσθ' ὅπῃ χρόνῳ πολλῷ ἀπεδίδου αὐτοὺς, φάσκων ἐπιλελῆσθαι τῶν πραγμάτων τὴν μνήμην διαστρεφόντων. οὗτος δὲ πολλάκις ποιῶν, καὶ ἤδη λαθεῖν δοκῶν, οὐδαμῶς ἅπαντας τοὺς δακτυλίους ἀπεδίδου, ὑφελόμενος ἀεὶ δὴ ὁπόσουσοῦν κατιδὼν δ' ὁ Βασιλεὺς, ἐσιώπα, οἷά τε οὐδὲν ᾐσθημένος. τοῦ δὲ ἤδη τολμηρότερον

τοὺς

τοὺς δακτυλίους κατέχοντος, καίποτε ὥστε λαβεῖν χεῖρα προτείνοντος, βασιλεὺς οὐδὲν μὲν ἄλλο κακὸν εἶπεν ὁ δὲ ἀνήνατο, καὶ τὴν χεῖρα ἀνέσπα, λέγων, ὅτι καὶ πάρος δεξάμενος ἐκεῖνος πρὸ αὐτοῦ ποτε δακτυλίους, εἰς τὴν προῦσαν ἡμέραν οὔπω ἀπήνεγκεν αὐτῷ, ὥστε οὐχ οἷός τε εἶναι ἰδεῖν τὸ πλέον κινδυνεῦσαι τῇ πρακαταθήκῃ. γέλωτος δὲ ἐπιγενομένου, καὶ ἐκείνου οἷον ἐπ' αὐτοφώρῳ ἑαλωκότος, ἐρυθριῶντος, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς πήξαντος εἰς τὴν γῆν. θάρσει μέντοι, ἔφη ὁ βασιλεὺς, ἄξια γάρ φασιν εἶναι τάτε λιθίδια καὶ τὸν χρυσὸν ἐκ νήσων τῶν ἰνδικῶν ἀφθόνως παραγενόμενον, ὥστε καὶ ἑτέρους δακτυλίους σκευάσαι, καί σοι εἰσαῦθις εἶναι καταλαβεῖν.

In his conuersionibus, ac in nostra quidem potissimum, alius de doctis aliud notarit, neq; immerito reprehenderit. Ad huius enim operis perfectionem requiritur, non solum intelligentia certa eorum quæ in alium sermonem conuersurus sis, neq; satis est commode uerba esse uerbis commutata: sed hoc etiam præstandum, ut cum proprietas & elegantia sermonis utriusq; par sit, figuræq; atque quidam habitus exprimatur consentaneus, & eorum quæ conuersa sunt, & eorum in quæ illa conuerteris: tum compositio & ipsa similitudinem retinere, & congruere in utraq; lingua debet. Quæ uniuersa assequi quam difficile

difficile sit, nemo non uidet, sed ad initia quædam & conatus pueriles hæc exempla nonnihil tamen momenti allatura esse confidimus: Huiusmodi conuersiones, Plinius Fusco scribens libro septimo, pulcerrimis elogijs celebrauit, his uerbis. Vtile mihi primum ex multis præcipue erit, uel ex Græco in Latinum, uel ex Latino uertere in Græcum. Quo genere exercitationis proprietas, splendorq; uerborum, copia figurarum, uis explicandi, præterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas paratur: simul quæ legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt, intelligentia ex hoc & iudicium acquiritur.

Etsi autem harum duarum linguarum traductionibus ad eruditionem literarum ac doctrinæ uel adiscendam, uel augendam, uel etiam conseruandam, nihil proponi potest utilius, neq; fructuosius, neque etiam splendidius: nobis tamen etiam in uernaculam linguam Latinorum Græcorumq; scriptorum, & illius in hæc translationes, quas discipulis nostris ad exercitia studiorum suorum proponamus, minime negligendæ sunt: siue hunc ut honorem habeamus patrio sermoni, nequaquam malo, neq; inepto: seu quia necessitate etiam in discipulorum nostrorum inscitia, ad hæc notiora & usitatiora quædam depellimur. Sed horum exempla exponere non est uisum, quare alia exequamur.

EXPOSITVS ORATIONE

Soluta παραφραστικῶς locus Plautinus, de Mostellariæ actus I. scena II.

Quærenti mihi, multumq; ac diu cogitanti animo meo, & reuocanti in mentem, si mente tamen præditus sum, uarias rationes atq; argumenta, quibus reperire possem, cuinam rei omnium rerum similem hominem primum natum perhibendum esse existimarem, occurrit tandem exemplum perapositum, ut uidetur, ædium nouarum: quod etsi alicui uestrum absurdum forte uidebitur, uelim tamen ea cognoscatis, quibus ad hanc sententiam sum adductus, confido enim me facile consecuturum, ut uera statuisse uidear, utq; uos assentiamini mihi, & uobis ita ut dixi, esse persuadeatis. Quare silentio me audietis, & quæ commemoraturus sum attendetis. Aedes ubi primum extructæ perfectæq; omni cura ac diligentia fuere cum operæ, tum artificij, quicunq; contemplantur, ij & opus laudant, & fabrum magnificiunt, quærunt qui sit, & similes illarum ædium se habere cupiunt, adducunt qui ædificationem illam spectent, atq; imitentur: inq; illa re neque labori, neque impensis parcunt. Verum postquam forte in tales ædes immigrauit aliquis improbus & nihili homo, iners, somniculosus, negligens, cuius, ut fit, similis familia fuerit, hoc tum iam detrimentum atq; damnum datur maximum ædibus illis, cum

cum ita luculentæ, neglectu immundæ fiunt, & nitorem suum perdunt. Postea tempestate corrumpitur tectum, deturbantur tegulæ, imbricesq; perfringuntur, non restituit dominus, neque tegit sarcitq; ædes: imbribus igitur iam omnia madent, labefactantur parietes, putrescunt tigna, quæ optime constructa fuere dissipantur, & uentis fiunt peruia. Multo igitur iam domus facta est deterior: non quidem fabrorum culpa, sed neglectione dominorum. Quippe cum iam magna pars hominum, si quid numo refici instaurariq; facile posset, eo usq; negligant, dum ruinam parietibus iam minantibus, sæpe tota domus restituenda, deq; integro ædificanda sit. Quid de ædibus fieri soleat, dixi: restat ut ad hanc similitudinem ea referam, quæ hominibus accidunt. Primum igitur, quid aliud parentes putandi sunt, quam fabri quidam liberum? Illi hos suscipiunt, educunt, instituunt, ut & prodesse reipublicæ & dignitate præstare possint. In hoc neq; suo labori, neq; impendio parcunt, nullosq; sumtus refugiunt. Curant erudiri suam sobolem bonis literis atq; artibus, iuraq; & leges perdoceri. Hoc agunt, atq; conantur omnibus modis, ut alij suorum liberum similes esse studeant. In militiam ubi proficiscuntur, non dimittunt neq; inopes, neq; solos, nam & pecunia instruunt, & custodem ijs aliquem de cognatis adiungunt. Iam tamen hactenus a fabris est discessum. Verum ubi iam stipendium unum meruerunt,

tum quo illa ædificatio euasura sit, coniectura fieri potest. Idq; adeo de me licet intelligere. Nam ad id usq; tempus dum in potestate fabrorum fui, ita me gessi, ut adolescentem frugi ac probum decet. Postquam immigraui quasi in domicilium quoddam ingenij mei, bonam fabrorum operam nefarie perdidi. Ibi ignauia me oppressit, quasi tempestas, quæ tanquam imbre atq; grandine uerecundiam ac temperantiam deiecit, & ueluti tectum uirtutis perfregi, at ego reficere illud neglexi. Ecce autem alius imber amoris largissimis aquis defertur in cor meum, quibus omnia penitus madefacta sunt. Hic diluit rem, fidem, famam, uirtutem, detriuitq; omnem ferme utilitatem. Atq; nunc huius ædificij tigna carie exesa labant, itaq; afflicta sunt, ut nulla ratione sarciri illud posse uideatur: estq; periculum, ne penitus corruat, neq; sustentari ulla ope queat. Me miserum, quanto dolore afficior, cum considero qui nunc sim, quiq; ante fuerim? Quem nemo ex omni iuuentute industria, nemo in gymnasijs, nemo disco, hasta, pila, cursu, armis, equo uicerit. Quantæ erat uoluptati mihi, cum alij non dubitarent uitæ sanctitatem & constantiam discere de me, optarentq; similem sibi institutionem contingere? Nunc uero perditus deprauatusq; sum, stulticia animi mei.

INTERPRETATIO VERSVVM Menandri, mutato carminis genere.

ὦ πάτ.

ἢ πάντες ἀποθανέμεθ' οἷς μὴ γίγνεται
ἃ βελόμεθα, πάντες ἀποθανέμεθα.

Si nisi res cuius nulla est contraria uotis.

Vel sic,

Si nisi cui res acciderit contraria nulla.

Vel sic,

Si, qui aduersa animo multa est perpessus iniquo,
Viuere nemo potest, uiuere nemo potest.

Alia interpretatio uersuum Græcorum.

ἐλπιδ' χρὴ πάντ' ἐπεὶ ἔκ τις ἔσθεν ἄελπτον,
ῥάδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ αὐδύνατον ἐσθέν.

Non est nefas sperare quicquam, etenim nihil
Rerum omnium spem non habet, cum sit Deo
Et expeditum, & facile facere quæ uelit.

Alia trochaicorum Archilochi, ut γνωμολόγοι citant.

χρημάτων ἄελπτόν ἐστιν οὐδέν, οὐδ' ἀπώμοτον,
οὐδὲ θαυμάσιον, ἐπειδὴ ζεὺς πατὴρ ὀλυμπίων
ἐκ μεσημβρίας ἔθηκε νύκτ' ἀποκρύψας φάος
ἠλίου λάμποντος, λυγρὸν δ' ἦλθ' ἐπ' ἀνθρώπους δέος.
ἐκ δὲ τῶν δ' ἔυπιστα πάντα κἀπίελπτα γίγνεται
ἀνθρώποισιν. μηδεὶς ἔθ' ἡμῶν εἰσορῶν θαυμαζέτω,
μηδ' ἵνα δελφίσι θῆρες ἀνταμείψονται νόμον
ἐνάλιον, καὶ τοῦτο θαλάσσης ἠχήεντα κύματα
φίλτερ' ἠπείρου γένηται, τοῖσι δ' ἡδὺ ἦν ὄρος.

Quid sperare uetat quicquã? aut quid posse negamus

Accidere, aut factum miramur? cum pater ille
Aetherius clarum medio de tempore lucis
Inuoluat tenebris solem atræ noctis opacis.
Ex hoc spemq; fidemq; licet comprehendere rerum,
Posse etiam fieri, ut uiridi delphines in herba
Pascantur, maria egressi: camposq; relinquant,
Inq; feræ fluctus saliant, illiq; nouatis
Naturæ uicibus, syluosis montibus errent.

Virgiliana uerbosiora.

Fluctus ut in medio cœpit cum albescere ponto
Longius, ex altoq; sinum trahit, utq; uolutus
Ad terras immane sonat per saxa, nec ipso
Monte minor procumbit, at ima exæstuat unda
Vorticibus, nigramq; alte subiectat arenam.

Eadem paulo aliter, & breuius exposita.

Fluctus uti primo cœpit cum albescere uento,
Paulatim sese tollit mare, & altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.

Idem Poëta quam breuiter hoc extulit?

Nox erat, & terris animalia somnus habebat.

Dilatatum magis hoc,

Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum pecudumq; genus sopor altus habebat.

Quam uero hæc copiosa sunt?

Nox erat, & placidum carpebant fessa soporem
Corpora per terras, syluæq; & sæua quierant
Aequora, cum medio uoluuntur sidera lapsu,
Cum tacet omnis ager, pecudes, pictæq; uolucres

Quæq;

Quæq; lacus late liquidos, quæq; aspera dumis
Rura tenent, somno positæ sub nocte silenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.

Longa est ἔκφρασις tempestatis libro Aeneid. 4.

Postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undiq;, & undiq; pontus,
Tum mihi cæruleus supra caput astitit imber:
& quæ sequuntur.

In quinto autem συνέτεμε narrationem, & breuiter multo eadem dixit:

Vt pelagus tenuere rates, nec iam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undiq;, & undiq; cœlum,
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
Noctem hiememq; ferens, & inhorruit unda tenebris.

Est & ab Ouidio tota Aeneis ἐπιτετμημένη libro XII. & XIII. quibusdam tamen historijs copiose explicatis, quas Maro tantum notasset. Sed ego adhuc unum exemplum huius generis proponam, ac poëticum quidem cuiusmodi libenter utor. Vos autem plura in omnium bonorum autorum scriptis uestro studio conquiretis. De zonis igitur, hoc est, cingulis cœlestibus, ita Virgilius:

Quinq; tenent cœlum zonæ, quarum una corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni:
Quam circum extremæ dextra læuaq; trahuntur,
Cœrulea glacie concretæ, atq; imbribus atris.
Has inter, mediamq;, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ diuum, & uia facta per ambas,

Obliquus qua se signorum uerteret ordo.

Tibullus multo copiosius lib. IIII.

Nam circumfuso consistit in aëre tellus,
Et quinq; in partes totus disponitur orbis,
Atq; duæ gelido uastantur frigore semper,
Illic & densa tellus absconditur umbra,
Et nulla incœpto perlabitur unda liquore,
Sed durata riget, densam in glaciemq; niuemq;.
Quippe ibi nonunquam Titan super ingerit ortus.
At media est Phœbi semper subiecta calori,
Seu propior terris æstiuum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arua deus, Bacchusue, Ceresue,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc interposita est, interq; rigentes,
Nostraq;, & huic aduersa solo pars altera nostro,
Quas similis utrinq; tenens uicinia cœli
Temperat, alter & alterius uires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora labitur annus.
Hic & colla iugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos uitis conscendere ramos,
Tondeturq; seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære,
Quin etiam structis exurgunt oppida muris.

Sed nunc imitationis exempla exequamur, quemadmodum supra nos facturos esse ostendimus. Quantum

tum autem in hoc exercitio momenti sit ad eruditionem, uerbis dici non potest, neq; credibile est inexperto. Habet autem eam utilitatem, non solum in hoc studio, optima ut uerba, & pulcerrimæ figuræ orationis, sed ut etiam prudentes & dispositæ ratione atque ordine consentaneo cogitationes usurpari discantur, quod ipsum, quamuis nisi ingenio maximo & doctrina summa perfici nequeat, tamen quo celerius fuerit inceptum atque tentatum, eo melior atq; certior spes fortunæ perfectionis concipi poterit. Hoc autem ut quale esse uelimus intelligatur, exemplo uno aut altero nostro studiosis huius eruditionis demonstrare conabimur. Sumatur autem locus de oratione pro Murena, qui est in responsionis initio. A quo tandem, M. Cato, est æquius consulem defendi, quam a consule? & cætera. Ac ponatur res ad hunc modum, ut respondendum sit alicui reprehensioni tali, quales hoc tempore maxime existere solent. Vt sit caussa hæc. Mortuo diuo Maximiliano, petierunt ambitiose imperium duo reges, Carolus Hispaniarum, & Franciscus Galliarum. Neq; legati solum mittebantur ad principes Germaniæ, penes quos instituto ueteri ius est creandi Imperatores, sed manifeste & beneficia delata, & pecuniæ oblatæ ferebantur. Horum tamen nihil admisisse Fridericum Saxonum ducem constat, quod se integrum omni ratione ferendis suffragijs seruare statuisset. Cum comitia haberentur apud Vangiones, alio pro alio nitente,

Fridericus dux Saxonum perfeciſſe putatur, ut Carolus rex Hiſpaniæ Imperator renunciaretur. Hoc fuere qui reprehendentes dicerent, Non oportuiſſe Fridericum, qui eſſet Germaniæ princeps, quiq; ſemper defendiſſet iura imperij, & acerrime factas ſæpe largitiones exagitaſſet: eum igitur ad Carolum inclinare rem non debuiſſe. Hoc defenſuri, Ciceroniana iam iſta nobis proponamus ad imitandum, ut ad talem quendam modum agantur.

Fuit ne igitur Friderico, qui Germaniæ eſſet princeps, ut aiunt, externus potius ad imperium prouehendus, quam is qui nepos eſſet Imperatoris, & eius quidem Imperatoris, qui merito pater patriæ appelletur? Aut reſpicere ad alium potius debuit, cui imperium traderetur, quam ad genus & ſanguinem eius qui maximis laboribus & periculis ſuis rempublicam cum laborantem ſuſtentaſſet, tum quadam diuina ſapientia conſtituiſſet? Quod ſi bonorum paternorum hæreditates ad proximos genere quoſque legibus peruenire ſolent, quis in ſufficiendo Imperatore eum reliquis præpoſitũ culpet, qui demortuo pro filio fuiſſet? Ac ſi eſſet ſucceßio in imperio, ut in pleriſq; regnis, ne liceret quidem, neq; leges ſinerent creari alium, quam eum qui non ſolum gente, ſed genere etiam atque cognatione ad defunctum proxime accederet. Quod ſi memoria præteritorum beneficiorum tantum ſæpe ualet, ut præſentes inimicitias reſtinguat ac deleat, quod natura ferat in bonis,

ut ab-

ut abesse ab omni suspicione ingrati animi cupiant, quo tandem animo fuisse Fridericum oportuit erga Carolum, optime ac præclarissime de republica meriti Imperatoris nepotem, ipsumq; omni laude uirtutis ornatissimum adolescentem, quem propter diuinæ quendam indolis splendorem odisse nemo posset, amare cogerentur omnes. Quare si est boni principis, non modo in præsentia consulere reipub. sed etiam in posterum prouidere ne quid illa detrimenti accipiat: quæ in utroq; laus sit Fridericii, ostendam alio loco: Hæc autem si ita sunt, manifestum esse existimo, non tam officio erga Carolum, quam saluti atq; dignitati reip. Fridericum studuisse, tum cum suffragio illum suo potissimum creauit Imperatorem. Nam quod iura imperij semper defendit Fridericus, certe ita defendit, ut non ideo oppugnandi quem quisq; uellet sibi necessitatem imponeret. Etenim si diminutam dignitatem imperij, aut iura uiolata esse hoc facto constaret, & ipse illum improbe fecisse confiterer, neq; tuendum iam mihi esse arbitrarer. Cum uero contra, & auctum illud & firmatum esse appareat, quid iam est quod contra suam consuetudinem defensionis atq; conseruationis imperij Fridericus commisisse uideatur? Negant oportuisse hostem largitionum suffragari ei, qui & sequestres in Germania, & pecuniam ad corrumpenda suffragia manifeste habuisset. De quo uiderint ij, qui tam confidenter hæc affirmare audent.

Nam

Nam si certa hæc & plana essent, alia quærenda iam esset oratio. Fridericus quidem, qui improbitatis maximus osor esset, non etiam ab humanitate & moderatione abesse debuit. Cumq; pecunia in illis comitijs uersata diceretur, quamuis more fieri iam uideretur, nequaquam tamen dissimulauit rem esse eiusmodi, quæ ab imperij dignitate abhorreret, & reipublicæ detrimentum complecteretur. Cum autem multæ atque graues causſæ ipsius animum ac uoluntatem ad Carolum deflecterent, id quod prudentiæ singularis fuit, non in illud quod factum diceretur, neq; tamen constaret, seuere inquirendum, sed id quod instaret utiliter ac studiose perficiendum esse putauit, ut imperium suæ autoritatis partibus interpositis stabiliret atq; fundaret.

Hæc qui conferre per capita sua cum Ciceronianis studuerit, is ut spero, deprehendet nonnullam diligentiam in illis sequendis nostram, & exemplo hoc in suis quoq; conatibus adiuuari poterit.

Addidimus & alterius loci conatum quendam nostrum subsequendi Ciceroniana, in quo diligẽtius quæ si uestigia huius autoris uoluimus obseruare. Is est proœmij in Brutum. Cum ante biennium e Francis reuertens, huc uenissem, eodemq; mox nuncium de morte Erasmi Roterodami esset allatum, incredibili dolore affici sensi animum meum. Nam & eruditissimo doctißimoq; uiro mortuo cum ornamẽto singulari, tum præclarißimæ operæ sustentatione priuatae uide-

uidebam literas nostras: & amissione principis bonarum artium ac humanitatis, harum caussam difficiliorem factam dolebam. Atq; inter hæc & quo suo labore ac studio has ille exercuisset reminiscebar, in quo omnium bibliothecas optimis scriptis auxerat: & qua autoritate defendisset, ut patronus quidam harum ab omnibus merito haberetur. Hic dolor augebatur cogitatione quadam mea, quod tanta prudentum uirorum doctrinaq; excellentium penuria, uir summus & literis instructißimus, pacisq; & ocij amans, periculosißimo tempore sublatus, & autoritatis suæ præsidium, & prudentiæ subsidium nobis eripuerat. Vicemq; eruditorum dolebam, quod ij, non ut forte aliqui temere crediderint, aduersarium illum, aut inuidentem gloriæ alienæ, sed coniunctum potius ac consociatum in uirtutis atque sapientiæ negocio amisissent. Si enim in uulgarium artium tractatione comperimus opifices celebres opificum suæ ætatis interitum defleuisse, quo tandem modo huius illos morte affici debuisse credendum, cum quo splendidius quasi luctaturi fuerant, quam si soli campum & arenam nemine repugnante tenuissent? cum præsertim, quantum nos scimus, non solum nulli hic in spacio doctrinæ, neq; quisquam summorum & eximia doctrina præditorum illius tempore hominum, ipsi sese opposuerit, sed potius & hi ab illo, & uero ipse ab his auctus sit & ornatus, & uenerando, & prædicando, & concedendo. Sed quando mediocri quadam

felici-

felicitate usus terrâs ille reliquit, sibi magis quam nobis cum maturum esset discedere e uita: & eo tempore hanc fato debitam persoluit, cum deplorare facilius, si superstes esset, rem literariam posset, quam sustentare: eumq; cursum confecit, quo uiuendi omnis iucunditas terminaretur: si dolendum omnino est, nostra nobis incommoda malaq; proponamus, cum illo optime actum esse sentiamus, ut gratulari magis quam misericordiam illi impertiri memoria nostra uelimus, &c.

DE PROOEMIO in Catonem.

Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos,
Nec quæ circunstent te deinde pericula cernis?

Licet enim uersibus ijsdem mihi uti, scribentem tibi, N. quibus excitat Deus ille Virgilianum Aeneam, haud blande compellans, sed monens fideliter, quanquam scio non ut Aeneam inter ea quæ impendent, quamuis rebus iam rite paratis, obdormiscere te solere, noui enim attentionem animi tui, & diligentiam, teq; non prudentia modo, sed etiam patientia atq; constantia facile præstare cæteris scio. Et tamen suspicor te hoc tempore, & in his rebus, quod mihi certe accidit, nonnunquam quadam in anxietate & dubitatione hæsitare, non tam acquiescentem, quam desperantem. De quo disputatio & longior, neq; hoc tempore explicanda est. Nunc autem

tem mihi cohortantem te ad firmitatem & alacritatem, usum est aliquid tibi scribere. Hoc enim metu, qui tibi & mecum & cum alijs multis communis est, aut iam instantis miseriæ, aut certe appropinquantis, frangi te animo, & sic consternari, quo minus contra te ad fortiter resistendum pares, nolo, etsi nihil mediocre, neq; usitatum, ut alijs quibusdam difficilibus temporibus, nunc expectandum esse puto. Sed cum sint multi, quos eadem pericula attingunt, tu mihi in primis occurristi, quem literis nostris ad fortitudinem & curam salutis communis adducere tentaremus. Mihi quidem in hoc tanta est spes, ut te uno confirmato, non solum nihil magnopere nobis uerendum, sed iam confidendum etiam esse uideatur. Nunquam igitur satis laudari poterit uirtus atque sapientia, qua præditus & instructus omnes casus fortiter ferre, & in melius posit conuertere. Sed de hoc & scripsimus sæpe, & posthac scribemus, hanc uero epistolam in periculo præsente ad te dedimus, mandauimus etiam quædam non literis, ne parum essent tuta, sed Porcio nostro, graui & intelligenti homini, & causse coniunctissimo, tuiq; amantissimo. Apud quem & Cælius, & Furius cum fuissent, multa locuti sunt de ijs rebus, quæ aduentare creduntur: quemadmodum ille, cum ad te uenerit, exponet. Qui si quædam, quam ante solitus fuit, nunc tumultuosius aut perturbatius narrabit, attribuito magnitudini periculorum, & summæ

omnium

omnium perturbationi: quæ te tamen caue frangant, aut debilitent robur animi tui, eiusmodi enim sunt, ut terrere possint fortes quoq; exanimare, & quasi de gradu deijcere non debeant. Sed quid uerbis opus? Nostram enim cohortationem scriptam iam habes, reliqua autem sermone Porcij nostri explicabuntur.

Non potest omnino ulla oratione exprimi, neq; satis prædicari huius exercitij utilitas. Sed res est magni laboris, & studij diligentis, quæ fere fugiuntur. Sed si celeriter in hanc partem & deducta opera, & deflexa uoluntas discentium fuerit, præclara poterit dehinc eruditio ab ingenij tanquam agri cultura, & orationis pulcritudo atque constantia sperari. Verum, nisi in experiundo, nemo horum quicquam intellexerit.

DE SVBIECTIONE rationum, siue ἀντιλογία.

HOc nos separatim proponere uoluimus, ut hac parte periculum quoddam generale fieri oportere intelligeretur. Nam occurrunt sæpe, neq; ita plene exposita quædam, neque ita perfecta cum uerbis tum sententijs, quin alicubi deficiant, uel saltem non satisfaciant cuiuis. Sæpe etiam eruditiora & doctiora scripta notant, & quasi tangunt quædam, non declarant, neq; explicant. Itaq; traditum memoria est, quendam nomine Pigretem, fratrem Artemi-

sia

siæ reginæ Caricæ, singulis Homericis hexametris singulos pentametros subiecisse, quibus illos poëtæ uersus quasi explicaret. Hæc autem certe est cuiusq; dicti ratio, si dicatur qua de caussa, quoue consilio, aut qua sententia quicq; factum fuerit. Ita ergo ille Pigres:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηλιάδεω ἀχιλῆος,
Μῦσα σὺ γὰρ πάσης πείρατ' ἔχεις σοφίης.

Tale fuerit, si propositus uersus sit, qui uulgo fertur,

Venter, pluma, Venus, laudem fugienda sequenti.

Et ratio subijciatur talis quædam,

Venter hebet, pluma est torpida, bruta Venus.

Item:

Deniq; non omnes eadem mirantur, amantq;:
Nam, quot homines, tot sententiæ, suus cuiq; est mos.

Cicero M. Mario Ep. lib. VII. Pudori tamen malui famæq; cedere, quã salutis meæ rationem ducere: licet hoc ita quasi exaggeremus. Didiceram enim turpitudinem, quæ neglectionem officij necessario consequitur, malum esse: mortem, quæ sit omnibus proposita, non esse. Virg. lib. III. Aeneid.

—— Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames? —— Addamus execrandas auariciæ effectiones, ut intelligi possit, quo de sensu poëtæ illa exclamatio eruperit, hoc modo: Tu scelere orbem terrarum reples: tu mentes hominum a cœli soliq; respectu auertis: tu impietate corda polluis: manus cædibus cruentas, rapinis contaminas: ora ad

periuria aperis: pedes ad nefaria facinora incitas. Nihil iustum sanctumq; esse potest, ubi tu regnum possides. Sed sunt ibi, ut poëta canit,

Omnia fanda nefanda malo permista furore.

Satis puto de his intelligi, quale hoc exercitium εὐτιολογίας esse uelimus. Eodem uero pertinent & quæstiones, quæq; προβλήματα uocantur, cum aliquid uel proponitur, uel sumitur declarandum. Vt,

Quid est apud Maronem Georg. III.

Hunc quoq;, ubi aut morbo grauis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.

Item: Quare calidissimæ naturæ,

Thestylis in rapido fessis messoribus æstu,
Allia, serpyllumq;, herbas contundit olentes?

Cum fessis non calor augendus, sed minuendus potius esse uideatur. Quomodo in V. Aeneid. leuis æthereis delapsus ab astris Somnus introducitur, cum afferat ibidem ramum Lethæo rore madentem, Viq; soporatum Stygia? & in sexto collocetur Vestibulum ante ipsum, primisq; in faucibus Orci.

Sed huiusmodi aliquando pluscula, Deo uolente, ad usum, & in gratiam cupidorum eruditionis & literarum proferemus.

Atq; hinc ad historias & poëtarum fabulas procedetur. Quare Cupido puer aliger, & arcitenens introducitur a poëtis? quod quidem eleganti carmine Propertius exposuit lib. 2.

Quicunq;

Quicunq; ille fuit puerum qui pinxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum uidit, sine sensu uiuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra uentosas addidit alas,
Fecit & humano corde uolare deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in unda,
Nostraq; non ullis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia utroq; iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo uulnere sanus abit.

Hæ iam sunt allegoriæ, cum forma quadam alieniore res ostenditur, & ambagibus quibusdam & inuolucris uerborum implicatur. Quo loco exercendi iam ingenij & prudentiæ sese latißimus campus aperit, in quem pueri si non ut excurrant, certe ut contemplentur, ipsi quoq; deducendi sunt. Huc igitur pertinent iam etiam ænigmata, quæ non solum interpretanda, sed etiam fabricanda erunt in studio liberalis institutionis. Sed exempla, ut solemus, pauca, quibus res de qua agitur, explanetur, subiungemus.

ALLEGORIA FAbulæ Pelasgi.

Regnasse diunt Arcades Pelasgum solum in Arcadia. Quomodo autem regnauit ille solus? aut solus

cum in terra Arcadiæ uersaretur, qui nam paruere illi? Nam neq; regnum, neq; ciuitas dici potest, quæ tantum habeat unum uirum, ut Tragœdia ait. Non igitur, ut uidetur, hoc dicitur, Neminem tunc in Arcadia præter hunc: sed hoc potius, Non alium uirtute & sapientia ipsi conferendum fuisse, ut cum essent alij innumerabiles, unus hic inter omnes emineret, & quasi esse solus in terra aliquis uideretur: ut hoc credo dicerent, intuentes ipsum, quod de Tiresia Homerus, solum sapere, cæteros umbrarum uagari modo. Non enim sunt multi, qui tam re, quam uerbo homines esse reperiantur. Vulgarisq; humanitas non est. Ore quidem, & communi animi sermonisq; quadam facultate præditi uniuersi sunt, qui homines uocantur: sed ad perficiendam excellentiam huius diuini animantis, maiore ui & naturæ præstantia opus est: quæ animi rationisq; uirtus, prudentia, orationis, eloquentia appellatur. Hoc nimirum sensu Diogenes, ut fertur, cum accensa quodam die lucerna obambulans, homines se quærere dixit. Et alio tempore, cum præconium de Ariopago fecisset, & ἄνδρας ἀθηναίους conuocasset, accurrissetq; magna turba, sic illos reiecit, ut non καθάρματα, sed ἄνδρας diceret se congregare uoluisse.

FABVLA AVREI uelleris.

Vellus aureum fuisse arietis, quo Phryxus in Colchida

chida uectus sit, fabulæ memorant. Hoc fieri non potuisse, quis non uidet? Vnde igitur natam fabulam putandum? Credibile est, magnam uim auri secum e Græcia fugientem aduexisse Colchos Phryxum, quod regi dederit, ut se reciperet. Itaque hoc non solum feciſſe Aeetam traditur, sed insuper etiam generum eum sibi asciuisse. fieri etiam posit, ut poëtæ homines sapientißimi arietis χρυσομάλλου mentione, notare uoluerint tempus medij ueris, cum sol Tauri signum peragraret, tum enim & oritur aries, & nauigationibus appropinquante Pleiade tempus idoneum est. Similiter & de Pelopidis finxere, cum inter Atreum & Thyestem de regno paterno discepraretur, ad se pertinere illud Atreum probare uoluisse, quod arietem aureum posset proferre: hoc autem fuisse regni signum. Nihil enim putatur feciſſe aliud Atreus, quam quod acceptam a patre scientiam rerum cœlestium, tanquam regiam institutionem comprobari, demonstratione orientis arietis signi uerni, uoluerit. Hoc cum a marito forte resciuisset, & prodidisset illius fratri, largitione, uel concubitu (ut alij tradidere) corrupta uxor Atrei Aerope, anteuertit Thyestes illum hoc indicando, atq; ideo dictus fuit furto aureum arietem fratri subtraxisse. Fuere qui in Colchide esse fluuios auriferos perhiberent, ut & in Lydia & Iberia accepimus. Deq; his accolas solitos fuisse excipere aureas ramentas præsepibus perforatis, aut uelleribus den-

sis pecorum, deq; hoc confictam fabulam. Hanc alii qui etiam superstitiose sunt interpretati, de pelle detracta pædagogo Phryxi, & magicis carminibus consecrata Marti: quod haud scio an non uerum sit, certe bellum non est. Probabilius illud de capite arietis, quo insignis nauis fuerit Phryxi, fugientis in Colchida.

Est in medio allegoria Erasmica, dentium Cadmei draconis. Sunt Lucretianæ libro II. matris Deum & III. fabularum infernalium: cui Tantalus superstitio est, Tityus libidines, Sisyphus ambitio, Danaides fastidium rerum præsentium, Cerberus & Furiæ metus pœnarum ob scelerate & nefarie perpetrata facinora. Et Cicero in Pisonem dicit, Non furiarum tædis ardentibus, ut in scenis terreri conscleratos & impios: sed reuera suam quemq; fraudem, suum facinus, scelus, audaciam de mente & sanitate deturbare. Plato in Phædro, nimium studium in exquirendis causis eorum quæ a poëtis conficta sint, & illarum περαλογων τινων φύσεων explicatione ponendum non putat, ut faciunt, qui nihil temere factum, atq; omnia ad ueritatem aliquam referri uolunt: quam ille agrestem sapientiam esse, & ocio abundantem censet. Sed hoc contra nos & hæc exercitia studiorum puerilium non facere putandum, in quibus neq; temporis nimium, neq; cura in hæc confertur, neq; alia negliguntur potiora. Deniq; non pro serijs hæc habentur, sed ut præparatio animorum ad seria proponuntur. Appellarunt

larunt autem ueteres ὑπονοίας, has ueritatis & sententiæ quasi occultationes. Vt in conuiuio Xenoph. dicuntur esse stolidi rhapsodi, ὅτι τὰς ὑπονοίας ἐκ ἐπίστανται. Et idem scribit Plutarchus in libello de Poëtarum lectione.

ALLEGORIA DOLII DANAIdum, ex Gorgia Platonis.

Neq; mirum si uere dixit Euripides, cum ait: Quis nouit an mors uita sit, sit uita mors: Nosq; forte reuera sumus mortui. Id quod ego de quodam iam sapiente audiui, nos nunc mortuos esse, nostrumq; corpus esse bustum. Ea autem pars animæ, in qua cupiditates insunt, sic se habent, ut mutari & labi huc atq; illuc soleat. Vnde uoce deriuata quidam festiuus fabulator Siculus, ut opinor, aut Italicus, Dolium nominauit, quasi de persuasionum dolis: insipientes uero appellauit profanos. Dixitq; horum eam animæ partem, in qua insunt cupiditates, improbam & plenam rimarum esse, quasi pertusum dolium: sequens hanc coniecturam, quod nunquã illa compleatur. Hic contra tuam, Callicles, sententiam demonstrat, quod inter eos qui apud Orcum (sic uocat res non subiectas oculis) sunt, miserrimi sint isti profani, ferantq; in dolium pertusum aquam cribro, similiter pertuso. Cribrum autem dicit, ut refert qui hæc mihi narrauit, animam esse. Animam

uero insipientum similem facit cribro, nempe per-tusam, ut quæ continere nihil possit in perfidia & obliuione sua. Hæc quidem sane sunt subabsurda. Hoc tamen docent, quod ego conor tibi ostendere, si forte hoc consequar, tibiq; persuadeam ut sententiam mutes: uitæ petulanti, & insatiabili, præponendam esse honestam, & rebus præsentibus utentem atque contentam.

ALLEGORIA MEDEAE.

Diogenem ferunt dicere solitum, Medeam fuisse nequaquam malam, neq; ueneficam, aut cantionum artificem, sed sapientem fœminam. Atq; illam molles, & delicijs fluentes, infirmisq; corporibus homines, ad gymnasia & in campum deduxisse, atq; etiam igne sudorem de illis elicuisse, & ita reddidisse robustos & firmos: deq; hoc emanasse opinionem, quod recoctos ad iuuenilem ætatem reuocaret.

GIGANTVM PEDES Anguini.

Sapientissimum fuisse hominum genus ueteres poëtas, sæpe est a me uarijs de caussis, & diuersa occasione dictum atq; demonstratum: quoq; magis & diligentius illorũ scripta lego, & quæ uel maxime ridiculè exposita ab his uidentur esse considero, eo certior fit

fit persuasio animi ista mei. Nam uideat obsecro aliquis, atq; perpendat, gigantum ab illis introductam speciem & historiam narratam, quanta in absurda & abhorrente re doctrinæ bonitas atq; præstantia comprehendatur? de qua nunc deinceps pauca sumus dicturi. Gigantes homines quosdam immanes, atque corporis mole horribili, & specie fœda fuisse, poëtæ tradidere, capitibus anguium de humeris sibilos & diuersos sonitus edentibus, pedibusq; anguinis, id est qui pro pedibus angues eminentes haberent, hos scelere incitatos, impietate nefaria bellum cœlo, intulisse, & metum quidem nonnullum incussisse cœlestibus memorant, sed mox Iouis fulmine stratos occisosq; fuisse. Quis autem dubitat, quin potentiæ atq; regnorum & tyrannidis crudelitatem, & eorum qui hanc occupassent, superbiam ac contemtum Dei & hominum uoluerint hac ueluti pictura fabulosæ historiæ designare? Horum enim robur in terris maximum, neq; quisquam contra nutus ipsorum uel hiscere, ut aiunt, audet. Atq; ijdem terra suæ ditioni subiecta manus in cœlum extendunt, & cum dijs belligerari incipiunt. Peruertunt enim atq; conculcant non modo humanas leges, sed diuinas etiam, id est, naturæ quædam scita conuellunt, proq; legib. ac iure libidines suas sanciunt. Ne tamen sola ui freti esse uideantur, iniuriæ malorumq; facinorum speciem interdum quærunt, de sibilis & uoce callidorum & fraudis fallaciæq; peritorum hominum, quos ad se &

ad suam potestatem applicant, quibusq; non solum quasi ore, sed pedibus etiam utuntur, ut & defendi & niti horum absona lingua, & turpi sustentatione eorum intolerabilis sæuitia uideatur. Hi & bonos odere, atq; odio uenenatæ linguæ facile repellunt. Qui felices habentur, eorum capiti ac fortunis infesti imminent. Miseros, amplius etiam affligunt. Nihil patiuntur exaudiri liberum atq; honestum ac laudabile. Sua fœda atq; pestifera anima omnes bonas artes, omnes bonos mores, omnem uirtutem, omne decus uitæ abigunt. Hos igitur quasi membra Gigantum, una cum ipsis execrari detestariq; debemus: neq; dubitare, quin huius totius tam monstrosi corporis, quantumuis tumultuetur, exitium diuinitus immissum expectandum sit, quocunq; illud forte tempore apparuerit, & cætera.

Ad hoc genus referemus interpretationes & explanationes eorum, quæ apud ueteres autores dicta uidentur aut minus copiose, aut minus dilucide, aut non probabiliter, aut consentanea non esse: cuiusmodi plurima historica & poëtica scripta suppeditant. Atq; in his & sæpe altius repetenda res, & multa extrinsecus assumenda. Et uocabula non solum interpretanda, sed ordinanda quoq; sunt, & distinguenda quasi series orationis. Afferemus autem exempla ueterum autorum utriusq; linguæ, de quibus tota res penitus poterit intelligi. Cicero breuiter ex-

ter explicat prouerbium rusticorum, lib. III. de Off. his uerbis: Hoc nonne turpe est dubitare philosophos, quod ne rustici quidem dubitant, a quibus natum est id quod contritum est uetustate prouerbium. Cum enim fidem alicuius bonitatemq; laudant, dignum esse dicunt, qui cum in tenebris mices. Hoc quam uim habet, nisi illam, Nihil expedire quod non deceat, etiamsi id poßis nullo refellente obtinere? Vides ne hoc prouerbio neque Gygi illi posse ueniam dari, nec huic quem paulo ante fingebam digitorum percußione hæreditates omnium posse conuertere. Vt enim quod turpe est, id quamuis occultetur, tamen honestum fieri nullo potest modo: sic quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest aduersante & repugnante natura. De legib. lib. 2. Mulieres genas ne radunto, ne ue lessum funeris ergo habento. Hoc ueteres interpretes, Sextus Aelius, L. Attilius, non satis intelligere se dixerunt: sed suspicari, uestimenti aliquod genus funebris. L. Aelius, lessum quasi lugubrem eiulationem, ut uox ipsa significat, quod eo magis iudico uerum esse, quia lex Solonis idipsum uetat. In oratioue Demosthenis contra Aristocratem, extant & legum explicationes, & uerborum in illis, ut ἀποινᾶν, esse χρήματα πράττεσθαι: & ἐφορίαν, τοὺς ὅρους. Extant & in Lysiæ oratione, contra Theomnestum priore. Est & apud Platonem Minois laus constituta de uersibus Homericis, hoc modo, ut nos conuertimus:

Homerus

Homerus cum de Creta dixisset multos in ea homines esse, & urbes nonaginta,

Vrbem habitant, inquit, Gnossum ingentem, quæ regna nouennis

Atq; Iouis Minos habuit commercia magni.

Hæc laudatio Minois Homerica est, paucis uersibus comprehensa, eiusmodi, ut nullius alterius Heroïs similis apud illum reperiatur. Iouem autem esse sapientiæ doctorem, cum alijs multis in locis, tum hoc ipso ostendit. Dicit enim, nono anno Minoa ad Iouem se contulisse, & ludum illius frequentasse tanquam doctoris sapientiæ. Nulli igitur alteri hunc honorem tribuisse Homerum, ut a Ioue eruditum esse perhiberet, præter Minoa, laudatio ea est admirabilis. Facit & in Odyssea, ubi de inferis loquitur, iudicem illum cum sceptro aureo. Rhadamanthum uero, neq; hic fecit iudicem, neq; consortem Iouis uspiam, quare affirmo, omnium maxime ab Homero Minoa laudari. Nam & esse Iouis filium, & solum a Ioue eruditum, laus est, qua laude maior inueniri non posßit. Hoc enim uersu illo significatur,

Atq; Iouis Minos habuit commercia magni,

illum cum Ioue colloquia fecisse, nam colloquia isto uerbo notantur: (Homero ὀαρος sunt, nos Commercia uertimus, quique commercia habet alicuius, is colloquio illius utitur.) Nono igitur quoq; anno uentitabat in Iouis specum Minos, alia ut disceret, alia ut recitaret, quæ priore annorum nouem spacio

cio a Ioue didicisset. Sunt autem qui suspicantur dici ab Homero, hunc fuisse compotorem & congeronem Iouis. Sed hos nihil dicere, argumento est quod in tanta multitudine tam Græcorum quam barbarorum nulli alij a conuiuijs & lusibus uini abstinent, nisi Cretenses, & horum secuti disciplinam Lacedæmonij. In Creta etiam una inter alias a Minoe latas lex hæc est, Ne potare cum alio ad ebrietatem quisquam audeat. Dubium autem esse nequit, quin quæ ipse recta esse statuit, ea legitima & apud ciues suos esse uoluerit. Neq; Minos, ut homo futilis, statuit diuersa, atq; fecit ipse. Fuit igitur hoc colloquium, ut aiebam, eruditionis ad uirtutem: de quo & leges eas tulit ciuibus suis, quarum beneficio omni tempore felix est Creta, itemq; Lacedæmon, ex quo illis uti cepit: sunt enim diuinæ. Rhadamanthus autem uir quidem fuit bonus, quippe eruditus a Minoe: non tamen edoctus totam regiam artem, sed adminicula duntaxat huius, quatenus iudicijs præsidere opus fuit. Vnde & iudex bonus dictus. Nam in urbe legum illo custode Minos utebatur, per aliam uero Cretam Talo. Talos enim ter singulis annis Cretæ uicos obibat, conseruans in illis leges, quas haberet descriptas in tabulis æreis. Qua de re Aereus appellatus fuit. His genuina ac similia Hesiodus de Minoe memorauit, facta enim mentione nominis huius, fuisse ait maxime regium omnium regum in terris:

Qui

Qui princeps multos populos ditione premebat
Finitimos, sceptrumq; Iouis rex ille gerebat.

Huic quoq; sceptrum Iouis nihil aliud significat, quam Iouis eruditionem, qua Minos gubernauerit Cretam. In Protagora autem est eximium huius generis exemplum, ubi carmen Simonidis a Socrate enarratur, in quo hæc ineſſent,

ἄνδρα ἀγαθὸν μὲν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν, χερσίτι καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγωνον, ἄνευ ψόγου τετυγμένον.

Sed sunt illa admodum prolixe diſputata, ut aſcribenda hoc loco non duxerimus. Extant autem in hoc genere ſuperiorum temporum doctorum hominum elaborationes multæ, atq; etiam toti libri editi, ut præterea quicquam afferre ſuperuacuum eſſe uideatur. Nos tamen conſeruantes inſtitutum noſtrum, adducamus etiam a nobis exemplum huius rei.

EXPLICATIO LOCI VIRgiliani de Georgic. 2.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & ueteres ineunt proſcenia ludi,
Præmiaq; ingentes pagos, & compita circum
Theſidæ poſuere, atq; inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

Poëta cauſſam primum affert, quare Baccho caper immoletur: & hanc ducit de detrimento uitium. Mox elegantibus uerſibus hiſtoriam intexit ueterum ſacrifi-

sacrificiorum Atticorum. Eandem caussam & Ouidius commemorauit, cum sic fecit Fastorum libro primo, ubi & Græcos uersus epigrammatis luculente interpretatur.

Sus dederat pœnas, exemplo territus huius
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in uite prementem,
Talia non tacito uerba dolore dedit:
Rode caper uitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
In tua quod spargi cornua posit, erit.

Græci autem epigrammatis uersus hi sunt:

κὴν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὁμως ἔτι καρποφορήσω,
ὅσσον ἐπίστεισαι σοι τράγε θυομένῳ.

Historia uero quam inseruit, est institutorũ in Attica ludorum scenicorum, quorum originem accepimus fuisse in sacris rusticis Athenien sium. Videturq; poẽta comœdiæ nomen, ἀπὸ τῶν κωμῶν deduxisse, & inuentum tamen attribuisse Athenien sibus. Cum Siculi hoc argumento sibi illud uendicasse legãtur, quod & Epicharmus antiquissimus autor comœdiæ Siculus, neq; apud Atticos pagi κῶμαι appellati fuerint. Sed præmium fuisse hircum uictoris in ludis scenicis, & horum rusticam esse originem, cum alij, tum perelegantibus uersibus Tibullus ostendit lib. 2.

Agricola & minio suffusus Bacche rubenti,
Primus inexperta duxit ab urbe choros.
Huic datus a pleno memorabile munus ouili,
Dux pecoris niueas auxerat hircus oues.

Neq;

Neq; me fugit, accipi hæc de tragœdia, quam ante comœdiam repertam etiam Horatius scripsit. Ego tamen in ea sum opinione, nequaquam fuisse apud priscos illa carminum genera sic distincta ut postea, neq; non recte etiam comœdiæ nomen & ludis Virgilianis, & Tibullianis choris attribui posse. Sed de his satis. Thesidæ autem sunt Athenienses, a Theseo, qui primus illam remp. constituisse, & tradidisse administrationem populo perhibetur: ut & Isocrates commemorauit in Helenes laudatione. Vnctos autem consueuisse per utres saltare in illa hilaritate ludorum rusticos, Græci poëtarum interpretes prolixe docent, fuitq; rei appellatio ἀσκωλία, & uerbum apud illos ἀσκωλιάζειν, quod non modo (ut quidam uolunt) significat in utrem insilire, quasi ἀσκωλιάζειν, neq; in lubrico, quod ἄσκωλον dicatur τὸ λεῖον, sed uno etiam pede, altero attracto, saltare, ut & Galenus manifeste posuit ad Glauconem lib. 2. In hoc genere haud scio an ad utilitatem prima assumi debeat exquisitio originis uerborum, ut cognoscatur qua ratione quicq; factum, & qua de caussa appellatũ fuerit: quæ est ἐτυμότης, &, ut Plato uocat, ὀρθότης ratio. Vt conuiuium quod nominarint Romani humanissima uoce, quod Græci συμπόσιον, a conuiuendo, non compotando. Item, Immanis, quem propter horribilem speciem omnes refugiant: quod manum ueteres bonum, & lætum atq; desiderabile dixisse perhibeantur. Ceruorum autem a cornib. quæ sunt κέρα, non

fuerit,

fuerit, ut opinor, nimis absurdum, nomen deducere, nam cornuum in isto animante species est eximia. Collegit multa Fabius, quæ & irridet. Et in hac parte Græci mirifici fuere, & hos imitatus studiosius forte quam debuit Varro. Sed in primis studijs hæc utilitate non carebunt. Non enim quid uerum in his, sed quid belle & scite excogitatum sit, quæritur.

In nominibus proprijs autem & ueritas spectatur, ut cum quæritur unde Cicerones, Cæsares, facti: & ex habitu corporis, quemadmodum ait Fabius, Rufi, Longi: Itemq; ubi erit aliquid secretius, Syllæ, Burri, Galbæ, Plauti, Pansæ, Scauri: itemq; ex casu nascentium, ut Agrippa, Opiter, Posthumus, Vopiscus. Idem cum uarias caussas, tum gentes quoq;, ac loca reperiri in his scribit. Inde Cottæ, Scipiones, Lænates, Catones, Asinij, Allobroges, Cymbrici, Attici, Dolabellæ, Bruti, Coriolani, Pompeij, Murenæ, Seruij, Quinti, Sexti, Decimi, Capitolini, Serrani, Cincinati. Itemq; Græca, φιλάδελφοι, σωτῆρες, πολιορκηταὶ, ἰξίονες. Et nostratia, Aucipes, Pueri, Barbati, Probi, Pij. Item αἴας, ἀπὸ τοῦ φανέντος ἀετοῦ. Pind. ἰσθ. ϛ'. & ἕκτωρ Il. ώ. ὅτι εἶχεν, id est, tenuit atq; defendit ἀλόχους καὶ νήπια τέκνα, & ἑλένη, διὰ τὸ τὴν λήδαν ἑλεῖν τὸν δία ἐς κύκνον μεταμορφωθέντα, καὶ διωκόμενον ὑπ' ἀετοῦ.

DE AENIGMATIS.

AEnigma fit crebritate ἀλληγοριῶν, in quibus & translationes frequenter ueluti implicantur. Fit

& ambiguitate in forma similitudinis: cum quod primum cogitatio arripuit, hoc tenet, neq; quid uerum sit, quærit, ut ille qui appetijt cereos pisces, & auiculas, pro ueris. Tale & hoc:

Aio te Aeacidam Romanos uincere posse.

Et secundum historiam Herodoti:

κροῖσος ἅλυν διαβὰς μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

Cræsus Halyn superans magnam peruertet opũ uim.

Item, αὐλητρὶς πέπωκε, utrum ne tibicina, an aulater corruit? Abiecisse quendam dico ἀγγεῖον, utrum ne iaculum, an capellam teneram? Tale & hoc est, οὐδ' ὧν ἀναστήσεται, apud Suidam. Sed hæc accentibus distinguuntur. Quid hoc? quo Cicero putat monitum posse uideri Crassum, ne proficisceretur ad bellum Parthicum: quod, cum ille exercitum Brunduſij imponeret, quidam in portu carycas Cauno aduectas uendens, Cauneas clamitarit. Nam hoc ueteri pronunciatione sonat, caue ne eas. Sed ad allegorias ueniamus. Philippo patri Alexandri Magni oraculum redditum accepimus:

ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.

Quid igitur? Præfigi argento ne haſtas iußit? Minime, nam ferrum est ualidius. Aliud igitur quærendum, quod oraculum præcipere uideatur. Ea est coruptela largitionum, & conciliatio proditorum, quibus ille Græciam fertur compleuisse. Aut conductio mercena-

mercenarij militis, in quorum manibus uere Mars furit. Eodem referentur & lignei muri, quos relinquit Pythia Atheniensibus bello Persico. Et Virgiliana:

Dic quibus in terris, &c.

Allegorica autem plurima αἰνιγματώδη apud ueteres reperiuntur, quale & hoc Virgilianum:

Claudite nunc riuos, pueri, sat prata bibere.

Et apud Pindarum plurima:

ὀλυμ. ή. μὴ βαλέτω με λίθῳ τραχεῖ φθόνος. & νεμε. γ'. ὐκέτι πρόσω ἀβάταν ἅλα κιόνων ὑπὲρ ἡρακλέος περᾶν εὐμαρές. & ὀλ. β'. πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας φωνᾶντα συνετοῖσιν, &c. & mox, ἔπεχε νῦν σκοπῷ τόξον.

Exponuntur oracula multa ab Herodoto obscura, fuitq; hæc ueterum sapientia, uerbis res tegere, & ueluti ab oculis & conspectu imperitorum ac uulgi remouere. Itaq; & similitudinibus, & παραβολαῖς, & ijs quos αἴνους dixere, multum usui fuere, quibus omnibus in quodam exquisito usu redditur oratio doctior. Et non solum uiri hac laude præstitere, sed fœminæ quoq;: ut Cleobuline, quæ proprio nomine Eumetis, filia Cleobuli. Hesiodea quidem ænigmata nota sunt in fine ἔργων καὶ ἡμερῶν, sed & alia sparsim usurpata, ut de polypo, quemadmodum interpretantur:

ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει. &, τότε δὴ τρίποδι βροτῷ ἶσοι, id est, seni in scipione innitenti. et ἡμερόκοιτος ἀνὴρ, fur,

 hoc

hoc enim genus noctu uigilat. Apud Thucydidem oraculum his uerbis refertur:

διὸς υἱοῦ ἡμιθέου τὸ σπέρμα ἐκ τῆς ἀλλοτρίας εἰς τὴν ἑαυτῶν ἀναφέρειν. εἰ δὲ μὴ, ἀργυρέᾳ εὐλάκᾳ εὐλάξειν.

Plistonax tum in exilio erat: hunc corrupisse Pythiam ferebatur, ut Lacedæmonijs hoc responderet, quo significaretur reuocandam de exilio posteritatem Herculis: quod ni factum esset, fore, ut argento tellurem exercerent, id est, laborarent penuria annonæ: uel tantis impendijs colerent terram, ut argentamentis, non ferramentis usi uiderentur: uel, coactum iri frumenta mercari argento, cum non crescerent in agro ipsorum.

Commemorauimus & in Aesopicis nostris nonnulla ænigmata. Huc pertinent et somniorũ ἐξηγήσεις, & cum exquiruntur portentorum significationes. In quo scitæ & congruentes coniecturæ laudantur. μάντις enim ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς. Exempla esse poterunt, superiorum temporum asini & uituli monstra, & multa in nubibus uisa. Et Calchantis passerum in annos digestio, & interpretatio apum, ac flammæ, Aene. lib. VII. Et somnium in Mercatore:

Miris modis dij ludos faciunt hominibus,
Mirisq; exemplis somnia in somnis danunt.
Velut ego nocte hac quæ præterijt proxima,
Insomnis egi satis & fui homo exercitus,
Mercari mihi uisus sum formosam capram,
Ei ne noceret quam domi ante habui capram,

Neu

Neu discordarent si ambæ in uno essent loco,
Posterius quam mercatus fueram, uisus sum
Mihi eam in custodiam simiæ concredere.
Ea simia adeo post haud multo ad me uenit,
Male mihi precatur, & facit conuicium.
Ait sese illius opera atq; aduentu capræ
Flagitium & damnum feciſſe haud mediocriter:
Dicit capram quam dederam seruandam sibi,
Suæ uxoris dotem ambediſſe: oppido mihi
Illud uideri mirum, ut una illæc capra
Vxoris simiæ dotem ambadederit.
Instare factum simia, atq; hoc deniq;
Respondet, ni properem illam ab sese abducere
Ad me domum, intro ad uxorem ducturum meam.
Ast non habere cui commendarem capram,
Atq; oppido hercle bene illi uelle uisus sum.
Quo magis quid facerem cura cruciabar miser.
Interea ad me hedus uisus est aggredirier,
Insit mihi prædicare, sese ab simia
Capram abduxisse, & cœpit irridere me.
Ego enim lugere, atq; illam abductam conqueri.

Hoc partim ipse senex somnium, partim rei exitus interpretatur. Multa autem insignia & luculenta diuersarum interpretationum capi poterunt de libris Ciceronianarum diuinationum. Sed hæc fortasse uideantur nequaquam esse puerilia. Ita tamen sunt, ut reliqua, de quibus hactenus disseruimus. Nam & in singulis perfectio quædam est & ingenij, & doctrinæ

ctrinæ non uulgaris, neq; mediocris: & tractationes tamen etiam sunt ueluti teneriores & rudiores, quales initiorum esse necesse est. A quibus tamen nisi progressiones factæ sint, ad illa fastigia nunquam peruenire possit. Sed de hoc etiam ante dictum. Multæ autem sunt formæ ænigmatum & griphorum, quas persequi & alienum, & nimis longum fuerit. Tota autem ratio est ἀλληγοριῶν. Vt, Terrigena herbigrada domiporta sanguine cassa.

Et uulgatum hoc:

Mater me genuit, quæ eadem mox gignitur ex me,

Et illi cancri in Batrachomyomachia.

ἦλθον δ' ἐξαίφνης καλάκμονες ἀγκυλοχῆλαι,
λοξοβάται, στεβολοί, ψαλιδόσομοι, ὀστρακόδερμοι,
ὀστοφυεῖς, πλατυώτοι, ἀποσίλβοντες ὦμοις,
βλαῦσοι, χειροτένοντες, ἀπὸ στερῶν ἐσορῶντες,
ὀκτάποδες, δικάρηνοι, ἀχειρέες, οἱδὲ καλεῦνται
καρκῖνοι.

Allegoria autem ad multiplices ambiguitates se extendit, siue uerbo, seu oratione, seu tono, seu distinctione, aliud quam intelligi debeat, dicitur. Sed de his Athenæus multa in X. & cum alij, tum aristoteles ἐλέγχοις disseruit. Nos, quod satis ad id quod agimus esse, & de quibus facile hoc exercitium, quemadmodum nos proponimus, quale sit, perspici poterit, & supra retulimus, & ad illa nunc pauca etiam exempla addemus. Est autem genus quoddam apud Græcos elegans αἰνιγμάτων, cum significationis ambiguæ uerba uel simplicia, uel composita, uel etiam de compositis,

positis, & simpliciter in alias idem notantes partes resoluta usurpantur : cumq; de historia aut natura rei reconditior sententia quærenda est. Vt cum dixit Agesilaus, se nescio quot milibus sagittariorum ex Asia expelli. Corrupti enim pecunia principes Græciæ, domi bello excitato effecerant, ut Agesilaus a sua ciuitate reuocaretur, & Medici numismatis signum fuerat τοξότης.

Et *nostrum hoc :*

λάμβανε μητροκλέης τάδ' ἐφήμερα δῶρα μενάνδρου,
οὐ χίον᾽ παφίῃ χρώματι λαμπόμενα.
ἀντὶ δὲ συγλαῶπας δώσεις, κραταιάστε χελώνας,
ἴσθ᾽ ὅτ᾽ ἐστι θεοῖς ἀθανάτοισιν ἀνήρ.

Significatur donum uirginis, quæ matri suæ laudem conciliet, alba fasciola aureis filis distincta, pro qua adolescens reddere debeat pecuniam. Est enim uirgo in expectatione uiri, ut μενάνδρου *dici possit, & Paphius color, aureus est. Homerica enim* ἀφροδίτη, χρυσῆ. *Sed noctuæ & testudines, nomismatum fuere signa, adolescẽtes uero* νήθειοι *Græcis, quod* ἰσοθέες *notat, dicuntur. Exemplum autem insigne est fistula Theocriti. Nostrum etiam ænigma aliud subiecimus, Græcum & ipsum, nam talibus ambiguitatibus aptior hæc lingua, quam Latina.*

ἄπλερον ἐς δένδρον πλινθὸν ποτ᾽ ἄφυλλον ἐσέπλη
κἀνθόῤῥ᾽ ἐφιζάνον κατ᾽ ἄρ᾽ ἄσομον ἀυτὸ πέπωκε
ἄσομον, ἰξυπρόσωπον, ἰξυθρογένειον, αὔωνον.

Significatur sole consumpta nix, quæ in arborem decidisset: tum autem cum nix cadit, arbores folijs carent.

Item Cuculum nostrum:

χείματ' ἀπὼν ἔαρος πέτομαι κηλούμενος αὔρῃ.
τέκν' ἐμὰ δ' ἐν ξείναις τρέφεται καλιῆσιν ὑπ' ἄλλων,
καὶ σφριγόωντ' ἐυθὺς τὴν μητέρα δόρπον ἔθηκαν.
ἄνθρωποι δ' αἴοντες ἐμοῦ μέλεος γελόωσι.
εὐθὺ δ' ἀρίγνωτος πέλομαι κὰν μήτις ἰδήσει.
καὶ μὴν σκήπτρου τοῖος ἐὼν θεοῦ ἵζομ' ὕπερθεν.

Et inuidiam, quæ est illa fera, ut opinor, Gnathonis, de qua dicere solebat, quod aleret comedentem seipsam.

ἔστι τις ἐνδόμυχον κοιλὼν ὀλοὸς τριχοειδῶν.
θὴρ ἀτιταλλόμενος, καταβρώσκων αὐτὸς ἑαυτόν,
ζῶν τόσον, ὅσσον ἐπ' ἐσθλοῖσιν τρέφετ' ἀλλοτρίοισι,
ἀβληχρὸς, μελίχρους, ἐγκρασίχολος, στυγερώπης.

Quos uersus etiam Latinos fecimus, hoc modo:

Est fera, quæ triplices latet intra occulta cauernas,
Seq; adedit, proprijs consumens dentibus, atq;
Non diuturna magis uita est, quam forte aliena
Commoda suppeditant huic nutrimenta ciborum,
Pallenti, infirmæ, tetricæ, tum bile uirenti.

Præterea obscuratur oratio & implicatur sententia diuisis syllabis, quæ componi deberent: ut apud Gellium, Ter minus, & nostrum ad aquas quandam Hercinias:

ἐνταῦθα καὶ σὺ λουσόμενος ἅμ' ἡλίῳ
χεῖμ' ἦλθες ἠρινὸν ἔτ' ἄγοντι, τὸν τέλος
πρώτου σὺν ἀρχῇ δευτέρου λέγει στίχου.

Iam

Iam multa sæpe longa descriptionis ambage obscurantur, ut hoc nostrum de Sole:

Anguis, & annulus, & superaddita norma, quod usquam
Est rerum, his uitam tribuunt, augentq; tributam.

Et quod olim de corde iactabatur in ludis puerilibus, quod nos ita:

O formosa meos animos prædata puella,
Quæ premis imperijs pectora nostra tuis.
Nunc tua quæ iam sunt, quæ te seruante tenemus,
Quæ mihi pridem oculi surripuere tui.
Mitto tibi lunam, solem, simul & canis iram,
Quæ reddas a te tu mihi uirgo precor.

Itemq; hoc de litera M:

Sex bis Agenoridis quondam uenere sub ædes,
Egressiq; omnes, uno minus, inde patente
Sunt fore. At hic multum patefacta per ostia frustra
Nitens, postremo conclusis prodijt illis.

Item alterius generis hoc quoq; nostrum addere placuit:

ἀγρεῦται δύο μὲν πατέρες, δύο γ' υἱέες ἦσαν,
τρεῖς δ' ἐλάφους οἰκόνδ' ἐν ἕκας ἐλόντες ἀπῆλθον.

Dicitur de auo, patre, filio. Qui sunt ijdem, pater, filius, nepos. Itemq; hoc de numero Musarum, eo qui est literarum in nomine matris Mnemosyne:

Quam memori notum diuinæ multa parentis
Aduersum rudibus, describit littera nomen,

Tam multæ ex illa cœlesti semine natæ.
Ornant exortæ ingenuis totum artibus orbem.

Arithmeticæ autem πεαγματεῖαι ad ænigmatum structuram sunt egregiæ, cuius rei exempla elegantia in Græcis reperias Epigrammatis, lib. 1. Nos etiam incidimus in uaria quædam ænigmata, Latinis non prorsus malis uersibus composita, ab autore Symphorio quopiam, ut ipse præscripsit, de quibus selecta aliquot huic expositioni adijcere uisum.

Clauis.

Virtutes magnas de uiribus affero paruis,
Pando domos clausas, iterum concludo patentes.
Seruo domum domino, sed rursum seruor ab illo.

Fumus.

Sunt mihi sunt lacrimæ, sed non est caussa doloris.
Est iter ad cœlum, sed me grauis impedit aër.
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

Tinea.

Littera me pauit, nec quid sit littera noui:
In libris uixi, nec sum studiosior inde.
Exedi Musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

Mus.

Parua mihi domus est, sed ianua semper aperta:
Exiguo sumtu furtiua uiuo sagina,
Quod mihi nomen inest, Romæ quoq; consul habebat.

Phœnix.

Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci:

Sed

Sed prius est fatum leti, quam lucis origo.
Sic solos manes ipsos mihi dico parentes.

Taurus.

Mœchus eram regis: sed lignea membra sequebar.
Et Cilicum mons sum, sed mons sum nomine solo.
Et uehor in cœlo, sed in ipsis ambulo terris.

Capra.

Alma Iouis nutrix, longo uestita capillo,
Culmina difficili peragrans super ardua gressu,
Custodi pecoris tremula respondeo lingua.

Mulus.

Dissimilis patri, matris diuersa figura,
Confusi generis generi non apta propago,
Ex alijs nascor, nec quisquam nascitur ex me.

Tigris.

A fluuio dicor, fluuius uel dicitur ex me.
Iunctaq; sum uento, uento uelocior ipso,
Et mihi dat uentus natos, nec quæro maritos.

Papauer.

Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta,
Pes unus solus, sed pes longissimus unus.
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

Clepsydra.

Lex bona dicendi, lex sum quoq; dura tacendi.
Ius auidæ linguæ, finis sine fine loquendi.
Ipsa fluens, dum uerba fluunt, ut lingua quiescat.

Tibia.

Non ego continuo morior dum spiritus exit.

Non

Nam redit assidue, quamuis & sæpe recedat.
Nuncq; mihi magna est animæ, nunc nulla facultas.

Somnus.

Sponte mea ueniens, uarias ostendo figuras,
Fingo metus uanos nullo discrimine ueri
Sed me nemo uidet, nisi qui sua lumina claudit.

Sed quædam etiam conijcienda uobis iam relinquemus, quibus quid significetur, nunc quidem reticebimus.

Quatuor æquales currunt ex arte sorores,
Sic quasi certantes, cum sit labor omnibus unus:
Et prope sunt pariter, nec se contingere possunt.

Aliud.

Nunc mihi iam credis, fieri quod posse negatur.
Octo tenes manibus, sed me monstrante magistro,
Sublatis septem, reliqui tibi sex remanebunt.

Aliud.

Nomen ouis Græce, contentio magna Dearum.
Fraus iuuenis functi, multarum cura sororum.
Hoc uolo, ne breuiter mihi syllaba prima legatur.

Aliud.

Nobile duco genus magni de gente Catonis.
Vna mihi soror est, plures licet esse putentur.
De fumo facies, sapientia per mare parta est.

Sed satis superq; in his immorati sumus: itaq; ad ea progrediamur quæ supersunt.

DE LOCIS COMMVNIBVS.

Locum

Locum communem, & huius tractationem, Græci inter exercitia Rhetorica posuere. De eo igitur & nos aliquid dicemus. Tractationum autem omnium capitum quædam communis doctrina a nobis exponetur, quæ postea applicari singulis facile possit. Vocant igitur Græci locum communem, sententias uehementiores, & orationem quasi elatam de aliqua re extra causſam, sed quæ causſæ adiuncta, illam reddat illustriorem & pleniorem. Hoc in utranque partem intelligendum. Nam & sententijs & uerbis in uicia, & ea quæ reprehendimus, inuehi, & quæ nobis probantur, quæq; ornata cupimus, ea extollere solemus. Hæc iam nascantur e re, & ualeant in omnes, atq; omnia, quæ subiecta sunt sub illam rem communiter, necesse est: unde & loci, & communis loci facta appellatio. Hi in controuersijs ad amplificationes & extenuationes, ad deprecationes & miserationes assumuntur.

Est & alia consideratio communium locorum, de quibus in utranq; partem argumenta ducantur, ut iam communiter tam actori quam reo, id est, ei qui asserat, uel refellat aliquid, seruiant, in ancipitibus quibusdam, ut Cicero uocat, disputationibus, in quibus, de uniuerso genere in utranq; partem disseri copiose liceat. Itaq; & Cicero lib. 2. Rhet. ita distinxit. Nam locus communis aut certæ rei quandam continet amplificationem: ut si quis hoc uelit ostendere, eum qui parentem necarit, maximo supplicio esse dignum:

gnum quo loco nisi perorata & probata causſa non est utendum. Aut dubiæ, quæ ex contrario quoq; habeat probabiles rationes argumentandi: ut suſpicionibus credi oportere, & contra suſpicionibus credi non oportere. Hæc fuit priſcorum ſapientia & eloquentia, qua Protagoras, & Hippias, alijq;, & maxime Gorgias excelluit, diſputationibus rerum illuſtrium conſcriptis, ut a Protagora factum Cicero tradit. Quod idem Gorgiam feciſſe ait, cum ſingularum rerum laudes uituperationesq; conſcripſiſſet, quod iudicaret hoc oratoris maxime proprium, rem augere poſſe laudando, uituperandoq; rurſus affligere. Atq; de hac exercitatione illi tantam facultatem & uim conſecuti fuere, ut in celeberrimis cœtibus, & frequentiſsimis conuentibus non dubitarent profiteri, ſe quacunq; quiſq; de re uellet, dicturos eſſe. Gorgiæ etiam in eloquentiæ illius maxima admiratione, ſtatuam auream Delphis poſitam accepimus. Sed nos adhuc iſta ita demonſtramus, ut notari tantum in principijs & teneritate ſtudiorum cupiamus, & ut pueri comparare & inſtruere ſibi iam adeo ueluti penum quendam rerum multarum & uariarum uelint, quibus ſe uſuros eſſe in doctrina & eruditione maiore confidant. Hæc erunt illa capita & indicata, & præſcripta iam ab alijs, uirtutum maxime & uitiorum: ſed & aliarum rerum præcipuarum, de quibus uel in uita communi, uel etiam in quodam receſſu doctrinæ & literarum dici atq; ſcribi ſo-

let

let. Vt de uita, morte, agricultura, republica, priuata, militari, nautica, equestri, opibus & diuitijs, paupertate, forma, religione, terra, cœlo, mari, bello, pace, uita illustri, & uita obscura: de ætatibus, conditionibus, fortuna, amicitia, & similibus. Satis enim de his quæ commemorata sunt, illa poterunt intelligi.

Ad hæc igitur digesta & dispositа, sententiæ bonæ, & graues, & disertæ notabuntur, quas paulatim in scriptiunculis assuefaciemus nos accommodare & apponere ijs, de quibus oratio instituta fuerit: non quidem ut afficta & inculcata, sed ut de re nata & exorta esse uideantur, quod nullo alio pacto, quam diligenti & crebra exercitatione poterit obtineri. Atq; hoc si sero experiri conariq; cœperimus, minus erit facile atq; expeditum. Quæ quidem est caussa, cur non multorum scripta his temporibus probentur. Collecta enim & conquisita sunt temere, & quod ex hoc sequitur, indispositа pleraq;, ut panni quidam consuti uideri possint. Reprehenduntur in hoc & Senecæ scripta: & certe excerpi magis de ijs utiliter quædam posse apparet, quam ipsa cum fructu ad imitandum legi Sed de hoc plura dicere nihil attinet. Attigi autem ideo, ut ad curam & attentionem quandam excitarem hac etiam in parte pueriles animos, ne, ut fit, oscitantes in illa nemine docente neq; monente uersarentur. Tractationem autem locorum communium apud Græcos reperio eam, quæ nihil magnopere proprium atque suum habere

habere uideatur. Cum in hac nihil aliud fieri debeat, quam ut aliquid in alteramutram partem extollatur, aut deprimatur, hoc quodam modo:

Mortem non esse malum.

Nunquam ego mortem malum dicam, neq; miseros mortuos. Quomodo enim malum existimare potero, finem quendam omnium malorum in uita? aut miseros illos, qui iam omni miseria cum uita sunt defuncti, quosq; nullus iam magis dolor, neq; molestia, ut tragœdia ait, potest attingere? Non hoc iam dicam, fatali mortem necessitate imminere uniuersis: parua hæc consolatio alicui forte uideatur, cum sit secundum Poëtam ueterem triste quicquid necessarium est: moderati tamen hominis est, ferre, non culpare, quod non possit mutari: cumq; sciamus nullam esse mortis fugam, bonos anniti decet, ut laudabilem & honestam uitam degant, suaq; uirtute emineant: communem autem sortem omnium excipiant quocunq; tempore quasi exierit, patianturq; animo æquo atq; imperterrito. Hoc enim ipsum est, quo sæpe efficiatur, id quod mirabile profecto est, ut turpem uitam mors honestet, cum tamen uita turpis honestæ morti locum non relinquere uideatur. Quod si nos ueterum sapientum autoritas mouet, quæ certe mouere nos debet, non solum parum extimescendam, sed etiam propemodum appetendam esse mortem, de illorum doctrina reperiemus, qui & melius esse mori quam uiuere in aduersis asseruere. Quis autem in terris non in ad-

in aduersis uiuit? & secundam esse affirmarunt felicitatem hominis, ut natus cito moreretur. Quem enim (*secundum* Plautum) Di *diligunt, adolescens moritur. Sed nobis satis sit in animum induxisse, non esse per se mortem malam, neq; exhorrescendam, uelimusq; sane uiuere dum recte liceat, neq; sine caussa oppetere illam, sed fortiter cum aduenerit ferre: sequiq; non malum* Poëtæ *mediocris præceptum, quo iubetur* Summus *nec metui dies, nec optari. Id uero pro certo atq; indubitato, ut quod maxime teneamus,* Malorum *mortem esse malam, eoq; deteriorem, quo fuerint hi improbiores: bonorum bonam, & optimorum optimam: demusq; operam, sic ut mortem obeamus, ne & uixisse nolimus, & diutius uiuere non licere indignemur.*

Huiusuodi *sunt* Ciceroniana παραδοξα, *quæ quam nostra scilicet exempla, multo meliora, studiose diligenterq; legere atq; cognoscere uoletis.*

Fortunam esse moderatricem rerum humanarum.

Quicquid isti sapientes disputent, uere dixisse ille mihi uidetur, qui hoc fecit: Vitam *regit fortuna, non sapientia.* Et *sapientissimus* Poëta *fortunam omnipotentem appellasse. Itaq; hac in parte non damnandam esse* Epicuri *disciplinam censeo, qua fortunam gubernatricem rerum introduxit, quæ enim ab hac specioſa consilia non diriguntur? quæ actiones splendidæ non perficiuntur?* Proinde, *quemadmodum*

Plautus ait, ut quisq; fortuna utitur, ita præcellit, atq; exinde sapere eum omnes dicimus. Disputant contra Peripatetici, atq; horum princeps Aristoteles acerrimo ingenio uir, negat huic quicquam tribuendum, in qua hoc non sit, bene maleue ut aliquid fiat. De quo quidem ipse uiderit. Ego, ut ille Græcus, optarim potius mihi guttulam huius, quam dolium consiliorum & ingenij. Profecto enim, ut ait tragœdia:

Fortuna tollit & fortuna deijcit,
Fœlicem & infelicem in omni tempore.

Et alibi non uulgus, neq; promiscuam hominum multitudinem, sed illos eximios & præstantes, qui sapientes uocantur, eos seruos esse dicit fortunæ, subiectos huic necessitate quadam. Et ille cum ingenij ui, tum usu rerum & prudentia uir summus Demosthenes, quid? Magnum habet, inquit, momentum fortuna, in actionibus hominum, uel potius illa omnia potest. Sed nos tamen inter hæc quærere atq; constituere debemus, quid & appellemus fortunam, & esse sentiamus, ne temere, ut multitudo hominum, in hoc nomine casus euentusq; ueluti uagari sinamus, de quo alias, &c.

DE PROBATIONIBVS ET REprehensionibus, deq; laude & uituperatione.

GRæci separatim exposuere uias & rationes quasdam laudationum & uituperationum, itemq;

itemq; assertionum & refutationum. Ipsi κατασκευὰς uocant & ἀνασκευάς. Hæc nos uno capite complecti uoluimus, quod sub unum quoddam tractationis communis genus cadere uiderentur: discriminaq; ea tantum haberent, quæ illa afferrent quæ laudanda, uituperanda, refellenda, corrigenda essent. Quapropter hoc erit iam exercitium per omnia capita supra exposita traducendum, & in illis singulatim experiendum quid ad firmitatem ipsorum reperire ac dicere possimus, itemq; quibus cõuelli eadem debilitariq; uideantur: In scriptis autem ueterum, ut & Cicero censuit, potissimum usurpandum atq; frequentandum, siue aliquid in illis per se ueluti assensione nostra ornare atq; defendere, siue dissentiendo infirmare uoluerimus. Seu in controuersia, cum ut fit, ueteres etiã sese mutuo impugnasse animaduerterimus, alteri parti quasi aduocatos nos fecerimus: hic ad ipsas causas gradus non erit infimus, sed in quo iam eloquentiæ uis & facultas consistat. Dicemus tamen nos de rebus grandioribus paulo nunc etiam minutius. Et quæ posteriore loco indicauimus, explanare, ut solemus, exemplis studebimus. Extant autem non pauca a posterioribus quibusq; notata in priorum scriptis, et maxime Poëtæ infestum sibi genus Grammaticorum, quasi censorum habuere. Quam multa in Virgilio reprehẽsa a diuersis apud Gellium legimus, & Macrobium? Sed hæc defendit egregie Pontanus. De Homericis enim hoc loco dicendum non est, neq; breuiter dici possit. Sed nos illa

relinquamus. Ac primum laudationum & uituperationum, itemq; probationum reprehensionumq; quasi formulas de Cicerone afferamus. Vt hanc de 2. lib. Offic. cum exposuisset historiam Arati Sicyonij, addidit laudationem: O uirum magnum, dignumq; qui in nostra republica natus esset. Sic par est agere cum ciuibus, non ut bis iam uidimus, hastam in foro ponere, & bona ciuium uoci subiacere præconis, &c. Et uituperationis paulo ante: Pernicioſe enim Philippus in tribunatu, cum legem Agrariam ferret, quam tamen antiquari passus est, & in eo uehementer se moderatum præbuit. Sed cum in agendo multa popullariter, tum illud male dixit, non esse in ciuitate duo milia hominum, qui rem haberent. Capitalis omnino oratio est, ad æquationem bonorum pertinens: qua peste quæ potest esse maior? hanc enim ob caussam maxime ut sua tenerentur, respub. ciuitatesq; constitutæ sunt. Nam etsi duce natura congregabantur homines, tamen spe custodiæ rerum suarum, urbium præsidia quærebant. Laudatio Terentiana Eunuchi. Ita me Di ament, honestus est. Quid tu ais Gnatho, nunquid habes quod contemnas? Quid tu autem Thraso? tacent, satis laudant, fac periculum in literis, fac in palæstra, in Musica: quæ liberum scire æquum est, adolescentem solertem dabo. Vituperatio in Andria. Sane pol temulenta est mulier, & temeraria, nec satis digna cui committas primo partu mulierem. Item Eunucho: Nihil est Thaide hac frater dignius

quod

quod dmetur, ita noſtræ omni fautrix eſt familiæ. Et paulo poſt uituperatio. Fatuus eſt, inſulſus, tardus, ſtertit noctes & dies. Cicero in tertio de Oratore: Quorum princeps Socrates fuit, is qui omnium eruditorum teſtimonio, totiuſq; iudicio Græciæ, cum prudentia & acumine, & uenuſtate, & ſubtilitate, tum uero eloquentia, uarietate, copia, quam ſe cunq; in partem dediſſet, omnium fuit facile princeps. Idem pro Quintio: Tum mihi Roſcius & alia multa confirmandi mei cauſſa dixit, & me hercule ſi nihil diceret, tacito ipſo officio & ſtudio, quod habebat erga propinquum ſuum, quemuis commoueret. Etenim cum artifex eiuſmodi ſit, ut ſolus dignus uideatur eſſe qui in ſcena ſpectetur: tum uir eiuſmodi eſt, ut ſolus dignus uideatur, qui eo non accedat. Idem pro S. Roſcio: Hominem longe audaciſſimum nuper habuimus in ciuitate, C. Fimbriam, & quod inter omnes conſtat, niſi inter eos, qui ipſi quoq; inſaniunt, inſaniſſimum. Sed ad formulas notandas hæc ſufficere poſſint, in quibus Poëticæ ſunt grandiores. Vt:

Os humerosq; Deo ſimilis, &:

-- Duris genuit te cautibus horrens Caucaſus, &c.

Et Ouidius:

Fœmina ſed princeps, in qua fortuna uidere
Se probat, & cæcæ crimina falſa tulit. &:
Natus es infelix, ita Dij uoluere, nec ulla
Commoda naſcenti ſtella leuis ue fuit.

Hæc igitur diligenter & attente obſeruabuntur.

Probationum autem exempla, uel formulæ huiusmodi sunt. De Nat. Deor. lib. III. de Castore & Polluce adiutoribus & nuncijs victoriæ Po. R. & ante Locrorum: An tibi, inquit, fabellæ uidentur? Nonne ab Aulo Posthumio ædem castori & Polluci in foro dedicatam, nonne senatusconsultum de Vacieno uides? Nam de Sagra, Græcorum etiam est uulgare prouerbium: quæq; affirmant, certiora ea esse dicunt, quam illa quæ apud Sagram. His igitur autoribus nonne debes moueri?

Reprehensio atq; confutatio perelegans fabulæ est Tagis in 2. de Diuin. Tages quidam dicitur in agro Tarquimiensi, cum terra araretur, & sulcus altius esset impressus, extitisse repente, & eum affatus esse qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Hetruscorum, puerili specie dicitur uisus, sed senili fuisse prudentia. Eius aspectu cum obstupuisset bubulcus, clamoremq; maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamq; breui tempore in eum locum Hetruriam conuenisse. Tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius uerba exceperint, literisq; mandauerint. Omnem autem orationem fuisse eam, qua aruspicinæ disciplina contineretur: eam postea creuisse rebus nouis cognoscendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipsis, hæc scripta conseruant, hunc fontem habent disciplinæ. Num ergo opus est ad hæc refellenda Carneade, num Epicuro? Est ne quisquam ita desipiens, qui

qui credat exaratum esse, Deum dicam an hominem? Si Deum, cur se contra naturam abdiderit, ut pate-factus aratro lucem aspiceret? Quid? idem nonne po-terat Deus hominibus disciplinam superiore ex loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit, quo nam modo potuit terra oppressus uiuere? Vnde porro illa potuit, quæ docebat alios, ipse didicisse? Sed ego in-sipientior quam illi ipsi qui ista credunt, qui quidem contra eos tamdiu disputem. Defensi loci Platonici de Gygis annulo, lib. Offic. III. Atq; hoc loco Philo-sophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam & commentitiam fabulam prolatam dicunt a Platone: quasi uero ille aut factum id esse, aut fieri potuisse defendat. Hæc est uis huius annuli, & huius exempli, si nemo sciturus nemoue suspica-turus quidem sit, cum aliquid diuitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis caussa feceris, si id dis homini-busq; futurum sit semper ignotum, sis ne facturus? Negant id fieri posse, quanquam potest id quidem. Sed quæro, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Vrgent, rustice sane: negant enim posse, & in eo perstant. Hoc uerbum quid ualeat, non ui-dent. Cum enim quærimus, si cælare possint, quid fa-cturi sint? non quærimus, possintne cælare, sed tan-quam tormenta quædam adhibemus, ut si respondе-rint se impunitate proposita facturos quod expedi-at, facinorosos se esse fateantur: si negent, omnia tur-pia per se ipsa fugienda esse concedant. Confutatio

autem uenusta est Biantis dicti in libello de Amicitia. Negabat ullam uocem inimiciorem amicitiæ potuisse reperiri, quam eius qui dixisset: Ita amare oportere ut aliquando esset osurus: nec uero se adduci posse, ut hoc, quemadmodum putaretur, a Biante dictum esse crederet, qui sapiens habitus esset unus e septem: sed impuri cuiusdam, aut ambitiosi, aut omnia ad suam potentiam reuocantis esse sententiam. Quo nam enim modo quisquam amicus eius esse poterit, cuius se putabit inimicum esse posse? Quinetiam necesse erit cupere, etiam optare, ut quam sæpissime peccet amicus, quo plures det sibi tanquam ansas ad reprehendendum. Rursum autem recte factis commodisq; amicorum necesse erit angi, dolere, inuidere.

Alterum erat genus, cum in aliquorum discordia nos unius sententiam adiuuaremus. Quod a superiore non admodum differt, habet tamen autoritatem maiorem, non enim tam reprehensio quam defensio uideri solet. Etsi cupiunt omnes reprehensoris personam in his disputationibus deponere: dicere enim solent, nihil sibi esse ueritate antiquius, contra quam neq; autoritas neq; gratia ualere cuiusquam debeat. Sed in hoc secundo genere aliqua autoritas hominum etiam accedit, quibus immerito reprehensis, quasi patrocinari nos uelle profiteamur. Etsi nonnunquam aliquis reprehensori assentitur, ut cum aliquis Epicuri dogmata tuetur, quemadmodum apud Ciceronem Torquatus & Velleius: aliquis Stoica, ut Cato & Balbus:

aliquis

aliquis Academica, ut ipse Cicero: aliquis Peripatetica, ut Piso. Sed nos exempla breuiora & expeditiora quæramus. Cicero lib. III. Offic. Si, exempli gratia, uir bonus ab Alexandria profectus Rhodum, magnum frumenti numerum aduexerit, in Rhodiorum inopia & fame, summaq; annonæ caritate, si idem sciat complures mercatores Alexandria soluisse, nauesq; in cursu frumento onustas petentes Rhodum uiderit, dicturus ne sit id Rhodijs, an silentio suum quam plurimi uenditurus? Sapientem & bonum uirum fingimus, de eius deliberatione & consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet, sed dubitet an turpe sit. In eiusmodi causis aliud Diogeni Babylonio uideri solet, magno & graui Stoico: aliud Antipatro, discipulo eius, homini acutissimo, &c. Ac deinceps a Cicerone utriusq; rationes referuntur, & Antipatri sententia defenditur.

Libro Tusc. III. Chrysippum contra Carneadem tuetur, hoc modo: Quocirca Carneades, ut uideo nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat, laudantem Euripideum carmen illud:

Nemo mortalis est quem non attingat dolor,
Morbusq;: multi sunt humandi liberi,
Rursus creandi. Morsq; est finita omnibus,
Quæ generi humano angorem nequicquam afferunt.
Reddenda est terræ terra: Tum uita omnibus
Metenda, ut fruges, sic iubet necessitas.

Negabat genus hoc orationis quicquam omnino ad

leuandam ægritudinem pertinere. Id enim ipſum dolendum dicebat, quod in tam crudelem neceſitatem incidiſſemus. Nam illam quidem orationem ex commemoratione malorum, ad maleuolos conſolandos eſſe accommodatam. Mihi uero longe uidetur ſecus. Nam & neceſsitas ferendæ conditionis humanæ quaſi cum Deo pugnare phibet, admonetq; eſſe hominem: quæ cogitatio magnopere luctum leuat? & enumeratio exemplorum, non ut animum maleuolorum oblectet, affertur, ſed ut ille qui mœret, ferendum ſibi id cenſeat, quod uideat multos moderate & tranquille tuliſſe. Omnibus enim modis fulciendi ſunt, qui ruunt, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis.

Extant multa exempla huius generis, & in Plutarcho, ut diſputatio, qua reprehenditur dictum Epicuri λαθὲ βιώσας, &c. Contra opinionem de fortuna, &, de Exilio. Item, de lege Solonis, qui (ut Cicero loquitur) capite ſanxit, ſi quis in ſeditione non alteriuſ utrius partis eſſet. De quo ita Plutarchus πολιτικὰς παραγγέλμασι. Atq; alia quidem a Solone conſtituta, libenter admittet, & quoad licebit imitabitur politicus, de hoc autem quæret, & admirabitur, qua animi affectione ille ſcripſerit: Infamem habendum eum qui ſeditione concitata neutri parti adhæſerit. Et in corpore enim non oritur de uitioſis ſanitas, laborantibus alijs partibus accedentibus, ſed ubi temperata quædam uis æqualentium potior id quod a na-

turæ

tura recedit, depulerit: Et in populo si commota seditio sit, non atrox neq; exitiosa, quanquam sedare incipiant, tunc integrorum & sanorum copiam miscri & adesse & ueluti ibidem habitare conuenit. Ad hanc enim familiaria alia ex incorruptis atq; sanis affluunt, & penetrant in morbosa. Sin penitus est commota ciuitas, plane illa perierit, nisi accidat extrinsecus aliqua necessitas & animadversio, ut ad sanitatem ui quadam malorum coacta reuertatur. Neque par tamen est, ut aliquis ueluti sine sensu, & sine dolore in seditione populi resideat, prædicetque constantiam suam & uitam ociosam ac beatam, delecteturq; aliorum insania. Sed tum maxime induendus cothurnus Theramenis, ut uersemur apud utrosque, adiungamur neutris. Non enim quod nolimus socij iniuriarum esse, ideo alieni habebimur: sed potius communitatis opinionem, in opitulandi studio adipiscemur. Neque fuga communis miseriæ inuidiosa erit, si uideamur uniuersis impertiri dolorem.

Contra rationes autoris librorum ad Herennium, Non esse utendum ueterum exemplis in præceptionibus artis.

Autor librorum Rhetoricorum, qui scripti sunt ad C. Herennium, siue Cornificius, seu quis alius, in exponendis

ponendis præceptis Græcorum de arte dicendi, ambitione quadam, ut apparet, ductus, improbauit id, quod illi fecissent, ut de ueteribus Oratoribus, ac Poëtis exempla suæ doctrinæ adducerent, ipseq; artis illa scriptorem componere, neq; aliunde petere debere, probare uult. Ac primum refellere conatur eas rationes, quibus Græci scriptores artis moti, non etiam ipsi comminisci exempla, sed a prioribus accipere uoluissent. Quæ confutatio a nobis non attingetur hoc tempore, neq; parum necessaria defensio suscipietur Græcorum. Sed quibus ipse suam sententiam confirmare nititur, ea quam leuia sint, ostendere tentabimus. Nam quod primum argute disputat, de sumendo exempla, si aliunde capi debeant, ab uno potius quam a multis: & quod quærit, utrum unum an neminem consequi omnia posse credendum: oppido est exile, & coactum in angustias quasdam. Non enim isti profecto, qui artem dicendi scripsere, aliquid adnouum & inauditum protulere, sed de ueterum sententum atq; doctorum usurpatione, rationem quandã ac uiam demonstrarunt, quam ingressi ad similes effectiones illarum esse peruenturi uiderentur. Quid igitur uetet illa, quamuis de multis, quæ præcepta parere potuerunt recitare? quo doctrina fiat euidentior. Aut cur ego mea potius proferre, quam illorum asferre studeam? Præsertim si existimem omni uetere bonitate perfecta esse, ut non solum approbationem cunctorum, sed admirationem quoq; repertura esse uideantur.

uideantur. Faciam enim profecto, ut si Philocletes, cum arcum & artem sagittarum ab Hercule accepisset, ipse illum ne Herculis arcus agnosceretur, corio nouo obducere, & quæ autorem artis dextra gerere uidisset, ipse læua administrare uellet, ne parum ars illa sua esse crederetur. Magna autem hæc in nimio amore sui cæcitas fuerit, non uidere ijs quæ optima sint, fieri melius posse nihil. Quod si quis optima illa ueterum esse non intelligit, eum iam ego sane scriptorem artis non admodum moror, nam hoc quidem, utrum unus præstare posit omnia, sapientissimi poëtæ decisum sententia est, qui ait, Non posse uni contingere omnia. Et alibi, Non dedisse cuncta uni Deum. Vt uero in uno plurimæ eminentes uirtutes reperiantur, fit tamen nescio quo pacto, ut in uarietatis quadam copia ualde delectet, ueluti citatio, aut potius adnocatio plurium, qui in consensu ueritatis, & bonitate ac laude pari, quamuis multi sint, iam in unum quasi corpus confluant, necesse est. Quinetiam nostra quædam si imitatione ueterũ diligenti cura & studio elaborata sint, ad illam ueluti summã referri apponiq; poterunt. Hoc quidem uerum non est, si non in omnibus aliquis eminuerit, ideo totam quandam rationem artis illorum, in quibus ab alijs forte uincatur, non potuisse eum consequi. Nam & Calain præclara signa alia quoq; fabricatum, sed in equis effingendis maxime admirabilem fuisse, itemq; alium in alijs pictorẽ operibus ualuisse accepimus, quibus tamen uniuersis tota

artis

artis ratio nota atq; perspecta, dicam etiam compre-
hensa esset. Neq; hoc nocere solet, in paucis se ex-
ercere: ac multo est melius, quam stulta auiditate &
spe omnium facultatem concipere. Sed debet esse ex-
emplum de artificio scriptoris. Atq; ita est quidem
maxime, si a ueteribus petitum fuit. Apud hos est
enim illa copia purpuræ, & illi acerui sunt tritici,
& luculentus ignis Promethei, non in libellis artis-
um. Qui hoc tantum agunt, ut digitum quasi ad
fontes intendant, & quæ ueteres egregie fecisse no-
tatum sit, demonstrent, ut noui quoq; facere & ue-
lint, & possint. Iacent igitur illæ similitudines Hie-
renniani istius autoris, cum non sint ueterum exem-
pla ab artis scriptione aliena, se de illis hæc prodi-
rit atq; nata sit. Quod autem de Lysippo affert, nes-
scio quam simile esse dicendum sit. Ipsum enim opus
cudere, atq; imitari & sequi alterum, longe est alia
ud, quam præcepta atq; tradita quædam artis co-
gnoscere. Cum autem posset post capitis fabricandi
explicatam rationem Lysippus, & aliorum laudabi-
lia opera consentanea quidem cum illa, ostendere, si
non faceret, nimis malitiose uel inuidus, uel peruersus
esset. Quod enim accommodata illa aliena esse exem-
pla posse negat, non equidē, ut uerum fatear, intelligo
Nam quamuis artem illi texerint, in bonitate tam
dictorum & claritate operis ars eluceſcat necesse
est, cum præsertim hanc occultare, ut uolunt, unum de
difficillimis artis præceptis esse credatur, ut exempl-
huius

huiusmodi iam exquirenda quoq; esse uideantur. Similiter et incommodũ, quod se fugere uoluisse asserit, quale sit, non uideo. Atq; fui profecto longior quam debui esse in refutandis non admodum grauibus rationibus istius, ut finis iam etiam faciendus sit, ne solicitudine quadam nostra leuißimam caussam adiuuemus.

Aliud nostrum exemplum breuius.

Hesiodus uirginem iubet duci uxorem, ratione reddita, ut hanc instituere ad honestatem morum poßis:

ἵν' ἤθεα κεδνὰ διδάξῃς.

Quæ ratio bona firmaq; non est. Nam si ante aliqua nupta fuit cum uiro bono, & amante uirtutis ac laudato, scilicet didicit ea quæ docendam uirginem præcipit Hesiodus. Ducetur igitur hæc potius, atque supersedebitur labore disciplinæ. Sed quid si uidua a priore uiro deprauata sit? Quid si uirgo ad omnem institutionem decoris indocilis sit? Illud certe obscurum esse non poterit, hoc quoties fallere solet? &c.

Aliud indicatum, non elaboratum.

Euripides, cuius singulos uersus singula se testimonia putare Cicero scripsit, sic ait in Medea.

μήδεια χαῖρε. τοῦδε γὰρ προοίμιον
κάλλιον οὐδεὶς οἶδε προσφωνεῖν φίλοις.

Hanc formam compellationis Plato (quem idem Cicero Deum Philosophorum uocat, cum quo errare potius quam cum alijs recte sentire non recusat) neque Deo, neq; homine dignam censet, Dionysio scribens. Horum alter iam refutandus, alter defendendus erit.

Ad

Ad contradictiones etiam pertinent, responsiones epistolarum, & exempla eximia sunt in Verrina V. & Philippica XIII. Pertinent huc Academicæ disputationes, id est, eæ quibus una res & confirmatur & infirmatur, statuitur & euertitur. Quod Cicero non solum utile esse putat ad eloquentiam, sed etiam ad intelligentiam: ita enim fieri, ut quid probabile & simile ueri sit, maxime eluceat, ut, Rhetoricam artem, uirtutem se sola contentam esse, generis nobilitatem non esse bonum: paupertatem non esse malum: pueros non oportere a magistris uapulare. Atq; omnino nulla est res, de qua non in utramq; partem prudentiores disserere poßint, quod & Euripidis uersus significant, qui tales feruntur.

ἐκ παντὸς ἄν τις πράγματος δισσῶν λόγων
ἀγῶνα θεῖτ' ἂν εἰλέγειν εἴη σοφὸς

Sed encomia, quæ sunt plenæ laudes, non quasi particulæ quædam harum, id est, ut Græci uocant, ἔπαινοι longiorem tractationem desiderant: similiter & uituperationes, Græci uocant ψόγους. Vt apud Isocratem Euagoræ, Xenophontem Agesilai encomia extant. Vituperari autem solent tyranni, & improbi. Sæpe in his exercent sese ingenia, ut quæ bona uideantur communiter omnibus, uituperare studeant: quæ mala, laudare, ut si quis dicere uelit contra uirtutem & studia bonarum literarum, in quo tamen nunc prauißimi seculi opinionibus aliquis uehementer adiuuari poßit. Sed nos de naturæ constanti

ſtanti iudicio loquimur. Item uituperare iuſticiam, caſtitatem, manſuetudinem: laudare tyrannidem, ſuperbiam, impuritatem. Talia ſunt, febrium encomia, & Buſiridis: & Reguli, qui ad hoſtes redierit, uituperatio. Sed in encomijs & pſogis, quid de quacunq; re propoſita, quo illa ornari magniq; fieri, aut contra deformari eleuariq; poßit, quæritur. Sunt autem & diuini numinis, & rerum cœleſtium non encomia, ſed hymni: quæ nõ niſi a furioſis & dementibus uituperantur. Et ſi qua ſeruit huic ueſaniæ, ea eſt ἐχθρὰ σοφία, ſecundum Pindarum. Sed terrena perſonas hominum habent, ut Aeneas, Achilles, aut totos populos & gentes: ut Romanos, Carthaginenſes, Græcos, Perſas, aut tempora: ut, uernum, autumnale, aut loca: ut ſunt ædificia, horti, Italia: Georgicorum ſecundo, aut facta: ut, Zopyri, Menœcei, aut res: ut præſidij conſeruatio, hoſtis circumuentio, nauigatio, profectio, iuſticia, temperantia, ſanitas, forma, opes, ignis, aqua, metalla, pluuiæ, ſerenitas. Item beſtiæ laudantur, ut equi, leones, elephanti. Et ſtirpes ac herbæ: ut palma, braſſica. Et fructus, mel, oleum, uinum: in quæ omnia etiam incidere ſolent uituperationes. Procœmia autem ſemper expetunt cum laudationes, tum uituperationes: ſæpe longiora quoq;. Iam et probationes ac reprehenſiones pleræq; dicuntur, ut συλλογισμοὶ infamiæ notæ publicæ, & λόγοι συλλογιζικοὶ, ut Gregorij aduerſus Iulianum, hi non ut λόγοι per certa quædam capita elaboran-

tur, sed simpliciter facta dictaue exagitant. Verum superius proposita ordine capita, nunc per hæc, si uidetur, singulatim traducamus, incipientes a fabula Aesopica.

FABVLA VIPERAE REPREhensa falsitatis historicæ nomine.

Non ego ignoro, ueritatem in fabulis non esse quærendam: commenta enim hæc sunt doctorum hominum, de quib. aliud quam dicitur, ab ijs qui narrari audiunt intelligendum est. Sed ea tamen eiusmodi esse oportet, ut non fallant etiam, inq; aliquem errorem inducant auditores. Cum enim ad docendum & instruendum hominum animos hoc genus repertum sit, in illo contrarium accidet, si persuasionem falsam attulerint. Vt in uiperæ fabula uidetur fieri, quæ memoratur contra ingratos: in qua hoc inest, non parere uiperam, sed fœtus erumpere de patefacta eius dendo aluo matris. Cum diligentißimi naturalium rerum inuestigatores prodiderint, hanc bestiam animal parere, & non oua, ut serpentes alios: nisi forte aliquando interdum, ut fieri perhibetur, cum numerosum fœtum edere nequeat, in nitendo rumpatur. Quod si accideret uniuersis, ridicule traderetur hoc genus esse eiusmodi, quod animal pareret. Quinetiam a Latinis uiperam, quasi uiuiperam, potius quam de uiolento partu appellatam puto, cum in serpentino genere hoc admirabile esset.

Fabula

Fabula felis & limæ, reprehensa absurditatis nomine.

Mentiri quidem fabulam necesse est, sed in proposito falsitatis argumento consentanea sibi tamen esse debet expositio. Quid autem hæc narrat? Quod feles limam cœperit lambere. Cumq; cruentaretur lingua, lætatam illam, quasi lingendo aliquid de lima detritum esset: non ante lambendi finem, quam lingua penitus consumta, feciſſe. Non igitur illa cum sauciaretur dolebat? Non magna ex parte lingua, ut ita loquar, descobinata, sentiebat & malum, & errorem suum, sed pergebat per summum cruciatum stultissima bestia sese elinguem reddere? &c.

Laudata narratio Herodoti, de Polycratis fortuna & interitu.

Herodotum multi non ueriti fuere, cum malevolentiæ, tum uero mendacij accusare: de quo alibi nos disseruimus copiose. Nunc autem quasi contra maleuolos & improbos accusatores illo defenso, unam laudare narratiunculam ipsius decreuimus, quæ est in Thalia, de Polycrate Samio tyranno, eamq; nisi esse notam omnibus pro certo haberem, non grauarer etiam quomodocunq; possem Latina oratione uobis referre. Sed scientia uestra me hac in

parte non tam pati, quam iubere plane uidetur, breuiorem esse. Quare ad laudem, ut institui, recta aggrediar: Etsi nunquam tantum, neq; me, neq; ullum alium dicturum scio, quantum bonitas & uirtus illius mereatur. Primum autem nequaquam existimo hæc esse commentum Herodotum, quod si esset, tamen propter eximiam doctrinam, & maxime in uita utilem institutionem, admiratione & laude digna essent. An autem uulgo creditur, potentiæ quamuis iniustæ non expetenda fortuna? aut intelligitur, quam hæc sit dubia & incerta? Nam si & teneretur hoc, & cognosceretur, primum uis & iniuria exularent, deinde moderatio & mansuetudo frequentarentur. Hoc igitur autor ille non exquisitis subtilibusq; sententijs, quæ multitudinis animos non admodum solent mouere, sed quadam ueluti pictura ostendere, & ob oculos, ut dicitur, ponere uoluit, commemorata illa Polycratis historia. Hic regnum occuparat insulæ Sami, inq; mari ab omnibus uicinis populis, & præfectis regijs metuebatur: nihilq; ullarum rerum incoabat, quin expedite & feliciter procederet. Tum Amasis rex Aegypti, summus amicus Polycratis, misit præconem qui amicitiam illi renunciaret. In aliorum admiratione, obseruantiaq; ac formidine, solus scilicet Aegyptius ille sapiens uidebat, neq; admirandam tyrannicam Polycratis conditionem, neq; colendum fortunæ mutabilem splendorem, neq; reformidandam ducam breuemq; potentiam. Quid igitur fit? cæcus

ille

ille in prosperitate diuturna, & ebrius fortuna, animo titubante tandem incurrit in manifestas hostis insidias: neq; ipse quid agat cogitat, & monitiones aliorum repudiat. Nam ut egregie dixit Tragœdia, Quem di funditus euertere uolunt, illius primum sententiam rectam animi bonamq; mentem peruertunt. Circunuentus igitur captusq; Polycrates hostili fraude, miserabiliter excruciatus interimitur, & exemplum cruci affixus statuitur elationis & superbiæ fortuitæ. Quid illud uero, quam uenuste & prudenter insertum: cum monitu Amasis pugnaret ille cum felicitate sua, expugnari hanc non potuisse? Non enim est, ut & hoc præclare dicit Tragœdia, necessitatis & euentuum fatalium auersio. Facile dici possent alia a doctiore multa, quibus hæc narratio siue uera seu fabulosa (nihil enim refert) commendaretur: sed nos quamuis modice ornauerimus oratione nostra, tamen non prorsus illaudatam, ut spero, reliquimus, &c.

Reprehensio Homerici loci de Odysseæ v.

Quis hoc iam ferat etiam, ut alia de Vlysse, & falso, neq; belle admodum ficta ab Homero dissimulare possit: illum excellentem calliditate ac dolis, dormientem uehi, & perseuerantem in somno, uel hoc potius sepultum, in patria insula exponi a Phæacibus? Docuisset illum saltem sociorum curiositas &

uenter paululum uigilare, neq; credere externis salutem suam, præsertim qui solus inter ipsos esset cum tantis opibus. Nunquam uigilans Vlysses tantum boni elaborauit, quantum mali accersiuit dormiendo. Reiectus igitur in somno a patria, cuius iam fumus apparebat, tantopere desideratus ab illo sapiente uiro, & data occasione caussæ, qua caussa omnes socij ipsius pessundarentur, ipseq; dijs propemodum & hominibus inuitis uix interitum euaderet, sed ita ut penè subire maluisse debere uideatur: non iterum, sed tutio iam ad eundem lapidem impingit, &c.

Defensio eiusdem.

Semper solet posteriorum doctrinulæ cuiusdam ueluti securicula, priorum sapientiæ lucos inuadere ac cædere. Ita & istud acumen in diuinitatem Homericam sese nunc incitat. Quid autem, quam temere, sed uehementer atq; aspere reprehendatur, consideremus. Somno proditum toties, cauere putant debuisse Vlysses a somni oppressione: & hunc sapientem cum tanta somnolentia a poëta non oportuisse introduci censent isti, ut apparet, omnem sapientiam supergressi. Ac de alijs somnis illius nihil dicam, hunc modo ultimum in naui Phæacum immerito culpari ostendam. Neq; etiam hoc disputabo, hac in parte quoq; uideri posse, poëtam uoluisse innuere, nisi in custodia & protectione diuina, omnium curas & attentiones esse futiles ac inanes, quid enim poterat Vlysses dormi-

dormiens ulla ratione uel boni sibi conciliare, uel mali auertere? Nihilominus tamen cum ipse, tum res omnes conseruantur, & deferuntur in patriam. Hoc intelligentes & doctos uiros in tota fieri uita non fugit, ut quasi in sopore, diuinitus, etiam sapientissimi consiliorum suorũ laudem reperiant: & potentissimi, defendantur uiribus suis. Sed hoc me disputaturum negaram. In procliui enim est demonstrare, nequaquam a persona callidi & uersuti, quam instituisset, hoc loco abduxisse poëtam Vlyssem suum. Quis enim cum tantis diuitijs non metueret uim eorum, quibus minime par esse posset? In hac autem formidine nonne prudentis & astuti hominis fuerit, attendere atq; circumspicere uiam qua ipse conseruaretur, et rem interea negligere, caputq; modo uelle esse saluum? Quid igitur agit Vlysses? Simulat se arctissimo somno oppressum, nihil scire neq; uidere quid in naui rerum omnium fiat ac geratur, ut ita cum se etiam uiuente ac incolumi illis Phæacibus omnia auferre atq; eripere liceret, non esset caussa cur se insuper occidere quoq; uellent. Nam quod non dicat poëta manifeste somnum illum simulatum fuisse, nihil nocet. Dicit enim, atq; memorat omnia fere ad eum modum, qui imperitis ridiculus atq; ineptus, doctis & eruditis admirabilis & diuinus esse uideatur, & c.

Χρεία Demosthenis reprehensa.

Demosthenem ferunt quodam tempore hominis

improbi causſam ſuſcepiſſe, atq; defendiſſe, quod cum ab amicis fieri non oportuiſſe diceretur: ita illum excuſaſſe accepimus: probos & innocentes defenſoribus non indigere, & ideo patrocinia relinqui improborum & ſontium. Male profecto atq; perniciose dictum. Si enim improbitas & audacia ſibi etiam defenſionem, ſciat paratam, & ſe tutam eorum beneficio qui ingenio & doctrina reliquis præſtent, futuram eſſe confidat: quem iam non appetere, quem non euertere uolet? Nemo omnium uim illius atq; impetum effugere poterit. Neq; hoc uerum eſt, non indigere defenſoribus innocentes. Hoc enim hominum genus, ut ſimplex & inerme, maxime expoſitum eſt uiolentiæ atq; iniuriæ. Indigent igitur eatenus ſaltem defenſione, quoad iniuſta uis propulſetur, neq; uelut nudi a prudentibus & deſtituendi, & a legitima potentia protegendi ſunt, ne tanquam præda ferociæ inſolentiæq; improborum relinquantur.

Sententia ueteris poëtæ reprehenſa, *In metu pudorem eſſe*, ex Euthyphrone Platonis.

Staſinum autorem carminis quod Cyprium dicebatur, *feciſſe aiunt talem cuiuſdam uerſus* clauſulam, *—— In quo metus, & pudor illo eſt.*

Id dictum uidetur minus attente. *Per enim multi & morbos, & paupertatem, & huiuſmodi alia reformidant in metu, ſed nihil horum uerecundia pudoreq;* compleſ-

complectuntur. Conuertenda igitur erat sententia, ut diceretur,

-- In quo pudor, & metus illo est.

Quicunq; enim uerecundia pudoreq; afficitur, is semper extimescit improbitatis opinionem. Neq; enim necesse est ibi existere pudorem, ubi metus ortus fuerit, metus enim patet latius, & huius pars est pudor, non secus atq; in numeris impar, ut non sequatur, ubi numerus sit, ibi imparem esse.

Sententiæ.

Euripidea sententia est, Durare semper affectum beneuolentiæ in amatoribus. Quod si uerum est, decepta scilicet fuit omnis antiquitas, cuius consensu uolucris Cupido effictus est. Quid enim hoc significare uult aliud, quam inconstantes & dubias amatorum uoluntates, & mutabiles animos?

γνῶθι σαυτόν.

Quantopere laudata sit hæc sententia a ueterib. neminem fere fugit. Quid igitur, nos ne aliquid contra audebimus dicere? Audebimus profecto, si quid ueritatis ratio contra illam subiecerit. Nunquid autem hoc illa dictat, Optimum esse & rectißimum interdum aliquem ignorare sese & uires suas, ut in metu potius moderatam uitam degat, quam in superbia, audacem? Si enim Cæsar minus se nouisset, nun-

quam illud tantum bellum susceptisset, in quo victoria rempub. Romanam euertit. Sed oraculum opponitur, redditum Crœso, ut Xenophon memorat, nam Platonici hanc sententiam plenis (ut aiunt) faucibus prædicarunt:

Crœse beatus eris si te cognoueris ipse.

Verum qui minus hoc & in Cyrum potuit dici? Sed si non nosset, neq; tanti faceret uires uterq; suas, quãti fieri merebantur, neq; hunc Persæ, neq; illum Massagetæ perdidissent. Quanto igitur rectius ueriusq; de formosissimo illo puero, qui in fabulis amore sui consumitur atq; interit, -- Consultus, an esset

Tempora maturæ uisurus longa senectæ,
Fatidicus uates, Si se non nouerit inquit.

Omnia agit atq; molitur Oedipus, sese ut cognoscat, ex eo hoc consequitur, ut scisciatum oraculum proficiscens, patrem occidat suum: & ne ignoret miserabilem turpitudinem suam, qui maritus esset matris suæ. Habet autem non modo obliuio malorum, ut ait Orestes Euripideus, sed etiam ignoratio sæpe iucunditatem, &c.

Sententiæ autem aliorum solent non modo penitus immutari, sed & augeri, & minui, & corrigi.

Strabo libro X.

Recte quidem hoc dictum, similes esse deorum tum maxime homines, cum benefici sint. Sed melius hoc dici uidetur, si felices sint. Sic autem sunt in gaudio,

gaudio, in hilaritate, cum philosophantur, cum musicæ student.

Plutarchus in libello de Poëtarum lectione.

Bellum & hoc, quod Bionem ferunt contra Theognidem dixisse, qui uersus fecisset, quibus negaretur paupertate oppressos, & quid dicerent, & quid agerent habere. Cur tu enim, inquit, in paupertate nugari, & obstrepere nobis loquacitate tua non desinis?

Correctum dictum Theognidis.

Theognis, multos habere amicos diuitias, egestatem paucos memorat. Illud quidem egregie: sed multo rectius atq; præclarius uno uerbo mutato, si non paucos, sed nullos esse affirmaret amicos egentium, nam secundum Tragœdiam,

πάντα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος.

Ex Sophoclis Aiace.

Dicit ille sapiens uir apud Sophoclem,
Videre se nihil esse nos aliud, nisi
Simulacra quædam uita in hac, umbram & leuem.
Vere quidem hoc, sed etiam illud addere poterat Pindaricum, Non solum umbram ut diceret esse uitam hominum, sed umbram fumi, ita enim, uix tamen, inanitas & futilitas huius expressa esset.

Huius-

Huiusmodi multæ reprehensiones, correctiones, mutationes dictorum in iocis incidunt: quo in genere crebra & pene immodica fuit antiqua comœdia, ut de Aristophanicis licet cognoscere. Et Plautina etiam quædam, ut aliquibus uisum, inepta sunt in medio. Assum. At ego te elixum uolo. Obloquere, nempe obloqui me iusseras. Et illa ex Amphitruone, Huc adueneisti audaciæ columen, consutis dolis.

Imo equidem tunicis consutis huc aduenio, non dolis. At mentiris etiam certo: pedibus, non tunicis aduenis.

Sed de his satis. Similitudines reprehenduntur, ut parum consentaneæ. Quemadmodum Cicero Stoicorum similitudines infirmat lib. IIII. de Finibus, his uerbis: Atq; hoc loco similitudines eas, quibus illi uti solent, dissimilimas proferebas. Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere uelint, propius fore eos quidem qui ad summam iam aquam appropinquant, sed nihilo magis respirare posse quam eos qui sunt in profundo. Nihil enim adiuuat progredi & procedere in uirtute, quo minus miserrimus sit, antequam ad eam peruenerit, quoniam in aqua nihil adiuuat. Et quoniam catuli qui iam despecturi sunt, cæci æque ut hi qui modo nati, Platonem quoq; necesse est, quoniam nondum uidebat, æque cæcum animo ut Phalarim fuisse, ista similia non sunt Cato: in quibus quamuis multum processeris, tamen illud in eadem caussa est, a quo abesse uelis donec euaseris. Nec enim ille respirat antequam emersit, & catuli æque cæci antequam despexe-

despexerunt, ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia. hebes acies est cuipiam oculorum, corpore alius langueſcit, hi curatione adhibita leuantur indies: alter ualet plus cotidie, alter uidet, his similes sunt omnibus, qui uirtuti student, leuantur uicijs, erroribus.

REPREHENSA SIMILITUDO, &c.

Amasis cum in luctu ob mortuum filium consolaretur amicum, fertur etiam hac usus similitudine. Vt non doluisset, priusquam illi filius nasceretur: ita neq; ob mortuum, dolorem esse capiendum. Quamobrem tandem? Quia, inquit, ut nunc mortuus nusquam est: ita antequam nasceretur, erat nusquam. Verbis quidem hoc rotunde effertur, sed sentẽtia adhæret. Quomodo enim simile obsecro, non esse natum, & qui natus sit mortuum esse? Aut quis dolore affici posit ob id quod ab omni sensu abest? Nam si quis nasci sibi filium optat, & in cupiditate hac angitur animo, iam nequaquam uere dicatur, non doluisse aliquem priusquam filius nasceretur. Neq; enim certe cupiditas & desiderium dolore & molestia caret, qui in mœrore & luctu manifestus est.

RATIO HESIODI REprehensa, contra iusticiam.

Neque

Neque se, neq; suos liberos, in hac prauitate uitæ iustos esse, optat Ascræus poëta.

Nam iustum esse, inquit, malum est, melior si caussa malorum.

Id non admodum sapienter alicui dictum fortasse uideatur: neq; si merito culpari posit, illius tanti uiri autoritas obstare nobis, neq; maior reuerentia antiquitatis quam ueritatis esse debet. Cur autem nolet aliquis esse bonus & iustus uir, quod uirtutem sperni & iusticiam opprimi cernat? Quasi hæc uoluntas & hoc propositum sit bonorum, ut tanquam agrum quæstus faciendi caussa, sic uirtutem colant. Ipsa cum sit uirtus precium sibi, ut quidam haud contemnendus poëta dixit,

Nil opus externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitijs animosa suis.

Etiam illa conditio quam futilis est addita, Melior si caussa malorum. Quid si non melior? ut uere non esset, si hoc potius doceretur, quicquid homines facerent & dicerent bonum, solam uirtutem & iusticiam, sua ipsius bonitate aptam esse atq; compositam. Nam hac doctrina futurum esset, ut animi hominum ad cultum & studium uirtutis commouerentur, & ad honestatis amorem, & cupiditatem iusticiæ incitarentur, &c.

DE CARMINIBVS Componendis.

Prius

PRius etiam carminum exercitium proponamus, quam ad finem quendam operis instituti, & tractatum τῶν θεσεων perueniamus. De hoc sic existimandum, neminem posse ullam eruditionis laudem attingere, neq; in studijs humanitatis locum tueri ullum, qui non hoc in genere diligenter & ipso uersatus fuerit. Hæc illa est musica, cuius harmonia animum & doctrinæ literarum pulcerrimam consensionem & suauissimum concentum perficit. Atq; tum diuinitas animorum se demum ostendit, cum hac ui suscitata, & his ueluti machinis erecta fuerit. Neq; ego nunc hoc dico, eximios poëtas multos fieri posse, neq; in eo nitendum præcipio, nam non humani ista res neq; propositi, neq; studij est. Hoc dico, nostra diligentia efficiendum, ut diuina illa sapientiæ & pulcritudinis opera poëtarum, non ut asinus lyram solet, ita nos audiamus, sed aliqua saltem ex parte intelligamus: utq; rationem quandam illorum cognoscere, & proprietatem atq; naturam animaduertere possimus. Sed cum late pateat hoc numerosum orationis genus, quod uniuersum carminis appellatione significamus, præcipuas quasdam formas, quæ etiam ab antiquis plurimum frequentatæ fuere, pueris & considerandas & elaborandas quoq; industriola sua proponemus. Reliqua,

—— Si quos
Numina læua sinent, audietq; uocatus Apollo,
assument adultiores. Sed illæ præcipuæ formæ carmi-

carminum sunt: Heroici, Elegiaci, Iamborum, & Trochæorum.

Heroicum carmen constat dactylis & spondæis inter se permistis, ita ut quintum semper locum occupet dactylus, & ultimum spondæus, & absoluitur pedibus senis, ideoq; hexametrum appellatum. Pedes uocamus eos numeros, id est μέτρα, quibus quodq; carmen ueluti incedens metimur. Dactylus autem habet syllabas tres, primam longam, breues duas: ut in digitis imæ partes sunt longiores, superiores breuiusculæ. Spondæus duas habet longas, carminum sacrorum pes proprius, & ideo a libando nomen accepit. Exempla dactyli: Scribere, Musica, Iuppiter. Exempla spondæi: Solers, dicax, amens. Atq; hi pedes habent rationem æqualitatis. Et heroici carminis simplex ista structura est. Alij pedes si in illo reperti fuerint, aut alij numeri, iam figuratum est carmen, de quo alias diximus, neq; hoc loco persequi necesse est.

Elegiacum carmen eosdem habet pedes, sed numeros paulo alios, est enim δίστροφον. Nam post hexametrum integrum, subiecta habet duo cola sectionis quinariæ: atq; ita bis duo pedes integri, & duo dimidiati reperiuntur. Hæ sunt syllabæ singulæ sectionem, quam & cæsuram uocarunt, utramq; superantes, quibus coniunctis efficitur pes integer & ipse quintus, & eam ob caussam πενθάμετρον hoc genus appellarunt.

larunt. Alternis autem uersibus hexametris & pentametris hoc carmen pertexitur.

– ∪∪– –– ∪∪– ∪ ∪–∪ ∪ ––

Est deus in nobis, agitante calescimus illo,

––∪∪ – ∪∪– – ∪∪ – ∪ ∪∪

Spiritus æthereis sedibus iste uenit.

Notandum autem, ultimam syllabam semper esse ancipitem, id est haberi uel pro longa, uel pro breui, ut hac uel illa opus forte fuerit.

–– Quærentem dicere plura. &,

–– Et laudis succensus amore.

∪ ∪

In quib. natura breues ultimæ, ra, & re, pro longis habentur, nam Trochæus heroici carminis pes nõ est.

DE IAMBICO CARMINE.

Iambicum carmen fit longius, aut breuius: auctum uel diminutum numeris. Vsitatissimum est τρίμετρον in mediocritate quadam, id est uersus senarius. Vt

Ducunt uolentem fata, nolentem trahunt.

Quid immerentes hospites uexas canis.

Qui per uirtutem perit, non interit.

Sed & sæpe huic subijcitur δίμετρον, id est, uersus quidam quaternarius. Vt,

Mala soluta nauis exit alite,

Ferens olentem Mæuium.

Comici produxere longius, & fecere etiam breuius, sed de hoc in præsentia non differendum est.

Compositio est laudabilis & bona huius carmi-
nis, permutatio Iambi & Spondæi, uel paris ratio-
nis pedis, nempe pro Iambo omnibus alijs in locis
extra ultimum, tribrachi (nam trochæum Iambicum
carmen, ut Trochaicum iambum, in simplice &
usitata compositione non admittit) pro spondæo ali-
tem dactyli, uel anapæsti. His enim pedibus ingre-
ditur. Est autem iambus, duarum syllabarum pe,
quarum prior breuis, posterior longa sit, ut, amant,
cohors, Senex. Veteres etiam totos uersus iambi
continuarunt, ut Catullus,

Faselus ille, quem uidetis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus, &c. Et,
Quis hoc potest uidere, quis potest pati? &c.

Sed permutatio debet esse talis, ut paria loca, il
est secundum, quartum, sextum, teneat iambus: in re
liquis ponatur spondæus, uel pes etiam ἀνάλογος,
ut dactylus, anapæstusue, qui est conuersus dactylus,
id est, breues duæ & longa: ut, referunt, celeres, Er-
to. Veteres tamen Comici & Tragici, Latini maxi-
me, hanc distinctionem totam neglexerunt, quæ ut
haud scio, an in eruditionis firmitate non admodum
moranda sit, ita pueri his legibus soluendi non sunt.
Hoc carmen in senaria mensura, quasi debilitatur,
est enim uelox, & citum, posito spondæo in sexto lo-
co pro ultimo. Quod cum fit, iambus non modo in
quarto, sed etiam in quinto reperiri debet, atq; tum
dicitur σκάζον, id est claudum.

Apollis

Apollinarem conueni meum σκάζον.

Nam risu inepto res ineptior nulla est.

Rape, congere, aufer, posside, relinquendum est.

Trochaicum multum frequentatur mutilum, id est, una pedis parte diminutum, Græci καταληκτικόν *uocant: & numeris octonarium, id est,* τετράμετρον. *Componitur autem trochæis, spondæisq;, & pedibus paris rationis, id est, dactylis & anapæstis. Sed trochæus uult tenere loca imparia. Admittit & τρίσεραχυν, qui est pes trium syllabarum breuium, æqualis trochæo, sed iambum, etsi æqualem pedem, respuit: est enim quodammodo hoc carmẽ iambico contrarium. Comici tamen interdũ & iambos miscuere. Sed nos de Comicis uersib. nunc nihil sumus dicturi.*

Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus, auditq; & uidet.

Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis.

Ergo quando uenit illa plenitudo temporis.

Quæ tamen quidam diuidentes fecerunt διμετρα, *prius* ἀκαταλληκτον: *Ergo quando uenit illa: posterius: plenitudo temporis:* καταληκτικόν.

Addamus his & hendecasyllabum, quod componitur spondæo, dactylo, trochæis duob. & spondæo: ualde elegans & suaue carmen, & satis usitatum, quo uitæ beatæ decreta exponuntur a Martiali,

Vitam quæ faciunt beatiorem,

Iucundissime Martialis hæc sunt, &c.

Sunt enim uulgo omnibus noti uersus. In his igitur

exerceri pueros satis fuerit, reliqua, ut diximus, suo tempore, Musis bene uolentibus, assumentur. Atq; ita pergent pueri per superiora pleraq; capita, & exposita atq; comprehensa soluta oratione, iam numeris alligare studebũt: fabulas, narratiunculasq; ac gnomas in primis. Vt nos hæc quoq; exemplis indicauimus.

FABVLA INCLVSA VERsibus hexametris dactylicis.

Si non est res ampla domi, si deficit aurum
Argentumq; mihi, tamen his sine uiuere possim
Commode opinor, & hæc contemnere, sorte negata
Quæ mihi sint. Vuas illa ut uulpecula quondam
Dum nequit assiliens contingere, Quid tamen, inquit,
Nondum maturas decerpere stulta laboro,
Vt dentes hebetent, cieantq; in gutture rauim?
Sic ego opes, sic diuitias fortasse relinquo
Inuitus, sed consolor ratione modoq; (quem
Me simili, quid enim his opus est tibi? non ne uides,
Multis non dentes modo, sed iugulum auferat harum
Immoderatus amor? discas caruisse libenter
Incertis dubijsq; bonis, proprijsq; fruare.

NARRATIVNCVLA EXposita uersibus elegiacis.

Si quem forte rosæ delectant, iam magis illas
Vt nitida Idalij germina floris amet.

Nam

Nam Venus una deas inter pulcerrima cunctas,
Vertice quot gemino clarus Olympus habet.
Hunc sibi delegit florem, propriumq; dicauit,
Quo nullus uerna pulcrior exit humo.
Hunc etiam fuso rubefecit diua cruore,
Cum læsit niueos impia spina pedes.
Quidam etiam affirmant ipsum rubuisse, priusquam
Scinderet Idaliam spina scelesta cutem.
Iamq; Cupidineo quidam aiunt sanguine cretum,
Tam uariat dubiæ fama uetusta rei.
Attamen hunc Veneris florem suxisse cruorem,
Non facit ambiguam fabula prisca fidem.
Infamis Cinyræ proles formosus Adonis,
Quem genuit diro crimine facta parens.
Maternis crebro iuuenis dum saltibus errat,
Immenso Gnidiam cepit amore deam.
Seu quod dum properat nimis oscula figere nato,
Læsisset nudos prona sagitta sinus.
Seu quod erat iuuenis teneris peramabilis annis,
Carpsit & ætatis diua proterua decus.
Non modo tardipedis spreuisse cubile mariti,
Sed fertur Thracem posthabuisse deum.
Solus Adoni tenes. Sine te non uidit Apollo,
Non uidit tremula nocte Diana face.
Sæpe immortali detracta est copula dextra,
Et canibus sæpe est copula nexa tuis.
Sæpe fera uocem est conspecta uoce secutus
Fœmineo arguti clamor ab ore soni.

Dumq; fuit medij iam pars transacta diei,
Phœbeoq; ardens æstuat igne polus.
Ilice sub nigra niueis complexa lacertis,
Detinet in gremio te Venus alma suo.
Narrat & historias, rerum facunda priorum
Argumenta quibus suppeditasset Amor.
Et monet, audaces pugnaq; lacessere promtas
Vt fugias cautus sollicitare feras:
Vrsos, fulmineumq; aprum, & genus acre leonum,
Et quæ caussa metus sit docet illa sui.
Fata uetant parere uirum, uix abstitit illinc,
Congrediturq; fero comminus ille sui.
Fixus aper candente ferit pulcra inguina dente,
Mortiferumq; infert uulnus Adoni tibi.
Inceptos gemitu clamores Myrrhina proles
Finit, ad hos uelox Cypria uersa redit.
Per loca currentis syluæ, qua semita nulla est,
Et faciente uiam, qua uia nulla, metu.
Sæuæ immortali rubuere in corpore sentes,
Fixit & ambrosios spina nefanda pedes.
At bona cœlesti tellus contacta cruore,
Et pulcro Paphiæ sanguine tincta deæ,
Surgere purpureum iussit de termite florem,
Percutiente Venus quo madefecit humum.

EXPLICATIO VERSVVM
Pindari uersibus iambicis trimetris & dimetris.

Cum

Cum multa, Pindare, dixeris pulcerrima,
Hoc pulcrius tamen est nihil.
Iusticiæ amabilis quies quod nata sit:
Nam quid quiete iustius?
Sed additum quanam hoc fuit sententia?
Hanc omnium optimam deam.
Gerere senatus atq; bellorum manu
Claues potente ferreas.
Nempe hoc ait: Deliberationibus
Quietis danda tempora.
Vt turbulenti forte si ingruant dies,
Consilia iam præcepta sint.
An uerius? sensisse claues Pindarum
Quietis has & ocij.
Senatum apertum, & consili facere fores,
Belliq; postes claudere.

CHRIA TROCHAICIS Tetrametris catalecticis.

Non male hoc, quicunq; dixit: Si pecunia reddita
Sit, carere eum hac qui reddiderit. At reddita gratia
Cum sit, haud habere secius hanc eum qui retulerit.

REFVTATIO DICTI SOLONIS, neminem esse beatum ante mortem uersibus hendecasyllabis.

Expectare Solon iubebat æui
Finem, ac deniq; de beatitate

Affirmare hominis, neq; ante uitæ
Felicem interitum uocare quenquam.
Ergo cum nihil in sepulcro & urna
Iam funebri erimus, dies ubi ille
Nos deleuerit ultimusq;, & infra
Terram puluereus cinis relictus
De nobis reliquus premetur alto
Saxo aut aggere, tum beata demum
Nobis secula mortuis patescent?
O miras sapientiæ latebras,
Profundiq; animi graues recessus.
Qui iam nil sumus, hi sumus beati.

GNOMICA.

Consilijs ut mens hominum prudentibus actus,
Et magna oblatas res ratione paret.
Euentus tamen est fati omnipotentis, & eius
Cuncta manu fatum qui moderante regit.
Illius arbitrio fiunt quæcunq; geruntur:
Qui sapis, hunc spectans incipe, si quid agis.

COMPARATIO.

Vt quondam Herculeas nautæ transire columnas
Non ausi ignara mente fuere maris:
Sic intra quosdam sese sapientia fines,
Quos ultra metuit transilijsse, tenet.

ΥΠΕΡΒΟΛΙΚΑΙ similitudines.

Terra prius iacto diuersum a semine reddet,
Anteq; sol atris conspicietur equis.
Aduersumq; suos rapientur flumina fontes,
Siccus & in medio gurgite piscis erit.
Esse prius flammis contraria desinet unda,
Deq; sorore trahes lumina Phœbe tua.
Parteq; qua cœli madidis notus euolat alis,
Horrida Threicio nix aquilone ruet.
Inq; leues zephyros eurus transibit amœnus,
Et dabit hic soles, ille erit imbre ferax.
Nec magis aëreas spargetur fumus in auras,
Atq; una rectus tendet in astra uia.
Mista erit autumnis æstas, brumaq; legentur
Lilia cum uiolis, uere cadentq; niues.
Vndeq; sol uultus profert mortalibus almos,
Oceani hic fessos flumine tinget equos.

APPLICATA.

Quam tua de nostro labatur pectore cura,
O mihi non quam sum carus amice minus.

Item.

Quam mihi sit tecum fida concordia mente,
Per scelus & fraudes impie rupta tuas.

CONVERSAE GRAECIS MVTATO genere carminis; Simonidis, ut aiunt.

 θυητῶν

θνητῶν δ' ὄφρα τι, ἄνθος ἔχῃ πολυήρατον ἡβῆς
κοῦφον θυμὸν ἔχων πολλ' ἀτέλεστα νοεῖ.
οὔτε γὰρ ἐλπίδ' ἔχει γηρασέμεν, οὐδὲ θανεῖσθαι,
οὐδ' ὑγιὴς ὅταν ᾖ φροντίδ' ἔχει καμάτου.

Aetas dum uiget, integræq; uires,
In uita omnia perperam geruntur.
Nam nemo iuuenis timet senectam,
Nec mortem ante oculos uidet futuram,
Nec morbi mala sanus horret ullus.

CALLIMACHI COMmendatio doctrinæ.

Quæ quondam capiti imposui stillantia suaui
Vda in delicijs unguine serta meo.
Omnia mox iacuere euanida: tum quoq; dentes
Ingessere aluum si qua sub immemorem,
Horum nil etiam sensit lux crastina, sed quæ
Auribus accepi, nunc quoq; certa manent.

Facile erat huiusmodi uel plurima congerere: sed neq; in carminibus pangendis nos multum nobis tribuimus, & de superioribus exempla assumi, atq; uel eadem ab alijs præclariora peti licebit: uel hæc etiam nostra ad id quod agitur, satis esse poterunt.

DE PROPOSITO, QVAM uocant θέσιν, & Declamationibus.

Sæpe

SAepe a nobis significatum est, proponi a nobis exercitia quædam puerilium studiorum, id est, uel particulas quasdam, uel simulacra eloquentiæ: quorum nonnulla tamen eiusmodi sint, ut non solum eruditionem singularem, sed etiam uires magnas ingenij, si exquisite tractari debeant, requirere uideantur. Sed nos ea, de quibus nostri pueri, sic enim appello discipulos bonarum artium quamuis forte serius in has scholas aliqui & grandiores iam uenerint, quorum illi cotidianas doctrinas frequentarent destinato tẽpore, in exemplis quoq; & perspicere certius, & ipsi effingere atq; usurpare assuefierent, pro nostra intelligentia, nequaquam, ut opinio nostra fert, aliena conquisiuimus. Sed erit in his administrandis plurimum situm in magistris. Nam in quadam uix emendanda adhuc confusione disciplinarum & studiorum, ad cuiusq; ingenium & captum hæc singilatim illi accommodabunt: ita & plane tirunculi eloquentiæ, & aliquousq; in hac colenda progressi quoq;, suos fructus utriq; de his percipere poterunt. Illis igitur, quæ putauimus ad exercitia eloquentiæ uobis demonstranda esse, iam consummatis omnibus, præter eam, quam Græci θέσιν, Latini (interprete Cicerone) propositum & cõsultationem dixere, hanc quoq; simili quo superiora modo, exequamur. Nam legũ suasiones & dissuasiones, uel in hanc etiam infinitã quæstionem includi possunt aliquo modo, ut ostendemus: uel iam plane ad controuersias pertinent. Atq; loquor

nunc

nunc de ijs quas in doctrina Rhetorica θέσεις uocant, a Dialecticis quidem nomine uel re etiam accepta. Quæ uero θέσεις proprie appelletur, in primo Topicorum libro docuit Aristoteles. Est autem Thesis, alicuius rei consideratio & explicatio propositæ per se absq; complexione proprietatis ullius. Vel ut dicam, rudius, &, si posßim, planius, consultatio proprijs rerũ nominib. exclusis: ut, ducenda ne sit uxor. Hæ primum quæstiones, id est ζητήσεις, in duo genera distinguuntur. Cognitionis unũ, cuius sunt θεωρηματικὰὶ θέσεις, cum quæritur primum, Sitne an nõ sit: utrum sint Antipodes, Pygmæi: utrum sit aliqua animi natura, id est οὐσία. Eodem & hæc referuntur, Vbi sit, aut non sit: et an fieri, itemq; qua ratione fieri posßit, itemq; de præterito futuroq; quæritur, hoc modo, Vbi cometæ appareant, ubi nullæ umbræ, uel omni uel aliquo tempore existant: an uirtus doceri posßit: quo modo uirtus paretur: an semper fuerit mundus, an idem semper futurus sit. Secundo, quid sit, in quo naturarum modus & differentia consideratur & definitur, ut, Quid sit anima, sit ne idem mens & anima, id est ψυχὴ καὶ νοῦς, quid sit honestum, utrum idem sit honestum & rectum. Eodem & ea pertinent, quæ qualicunq; designatione expressa proponuntur cognoscenda, ut barbariæ immanitas, imperitorum inimquitas, inscitiæ turpitudo: aut species & pulcritudo uirtutis, constantis & grauis uiri dignitas. Tertio, quale quid sit. Hoc late patet, nam & ad naturam & mores

mores pertinet: id est πρόβλημα seu ζητήματα complectitur, tam φυσικὰ quam ἠθικὰ, ut, An rotunda sit terra, an cœli sit color, qualis sit motus stellarum: item, Sit ne laudabile studijs humanitatis operam dare: &, Sit ne idem utile: item, Aequum ne sit, eiusdem conditionis & naturæ hominem seruitute premere: Liceat ne recusare tyrannica imperia. Hæc igitur cognitionis sunt. Alterum est quæstionum genus actionis, quæ sunt πρακτικαὶ, cum de faciendis, fugiendis ue quæritur, hoc modo: Quod agendum studioso bonarum artium, quid fugiendum cupido laudis, quomodo se magistratus gerere debeat. Ita iam ad officia peruenitur, & comparationes horum inter se: & affectuum quoq; tractatio incidit, mouendi sedandiq; animos. Ita fere Cicero. Græci in duo genera diuisere θέσεις, ut facerent θεωρητικὰς earum rerum, quæ sola animi ratione explicari, & intelligentia comprehendi solerent, ut, Anima ne sit natura aliqua: &, Eadem ne immortalis sit: &, Mundus ne extiterit aliquo tempore. Huiusmodi iam erunt & hæc, Virtus ne & honestum natura sit, an opinione: Rhetorica sit ne ars: Quid sit φρόνησις, & similia, quarum ueluti opera nusquam nisi animo efficiuntur. Alterum genus θέσεων fecere τὰ πολιτικῶν, quæ iam sunt earum rerum quæ in ciuitatibus usurpantur & fiunt, publice aut priuatim: ducendæ ne uxores, nauigandum ne sit, ædificandum, ambulandum. Huiusmodi & illæ Ciceronianæ sunt, de quibus ipse ita, Attico scribens

libro

libro IX. Sed tamen ne me totum ægritudini, inquit, dedam, sumsi mihi quasdam tanquam θέσεις, quæ & πολιτικαὶ sunt, & temporum horum, ut & abducam animum a querelis, & in eo ipso, de quo agitur, exercear. Eæ sunt huiusmodi:

εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι, τυραννουμένης δὴ αὐτῆς. εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πρακτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύειν. εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτός τι πάθῃ. ἢ πειρατέον ἀρήγειν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ μᾶλλον, ἢ ἐν πολέμῳ. εἰ πολιτικὸν τὸ ἡσυχάζειν ἀναχωρήσαντά ποι τῆς πατρίδος τυραννουμένης, ἢ διὰ παντὸς κινδυνοῦ ἰτέον τῆς ἐλευθερίας πέρι. εἰ πόλεμον ἐπακτέον τῇ χώρᾳ, καὶ πολιορκητέον ταύτην τυραννουμένην, εἰ καὶ μὴ δοκιμάζοντα τὸν διὰ πολέμου κατάλυσιν τῆς τυραννίδος συναποστρεπτέον ὅμως τοῖς ἀρίστοις, ἢ τοῖς εὐεργέταις καὶ φίλοις συγκινδυνευτέον ἐν τοῖς πολιτικοῖς, κἂν μὴ δοκῶσιν εὖ βεβουλεῦσθαι περὶ τῶν ὅλων. εἰ ὁ μεγάλα τὴν πατρίδα εὐεργετήσας, δι' αὐτὸ δὲ τοῦτο ἀνήκεστα παθὼν καὶ φθονηθεὶς, κινδυνεύσειεν ἂν ἐθελοντὴς ὑπέρ τῆς πατρίδος, ἢ ἀφετέον αὐτῷ ἑαυτὸν πο-

τε, καὶ

τε, καὶ τῶν οἰκείων ποιεῖσθαι πρόνοιαν ἀφειμένους τὰς πρὸς τοὺς ἰσχύοντας διαπολιτείας.

In his ego me consultationibus exercens, & differens in utramq; partem, tum Græce tum Latine, & abduco parumper animum a molestijs, & τῆς πραγματείας delibero.

Hæc etiam capita placuit in linguam Latinam conuersa subijcere: Vtrum sit remanendum in patria, oppressa illa quidem tyrannide: an omni ratione conandũ, ut tyrannide liberetur ciuitas, etiamsi in summum discrimen hæc uentura sit? Præuidendum ne liberatori, & fugiendum periculum: an potius annitendum patriæ multo cupidius ut succurrat, quam si contra hanc bellum inferretur? Vtrum uirum bonum deceat, aliquo secedere, oppressa tyrannide ciuitate sua: an potius omne periculum adire liberandæ illius gratia? Bellum ne inferre patriæ occupatæ a tyranno, & illam oppugnare rectum sit? Vel si minus bello liberanda patria uideatur, cum optimatibus tamen, utrum discedendum sit, & periclitandum cum amicis & benemeritis in repub. quamuis consilium eorum de summa rerũ tibi improbetur? Vtrum is cuius maxima in patriam beneficia extant, pro quibus ipse indignis modis afflictus in ciuium inuidia fuerit, uolens se in discrimen patriæ defendendæ causſa conijcere debeat: an huic tandem omissis cum potentibus de repub. certaminibus, ut se ac suos respiciat, concedendum esse uideatur?

Magnam

Magnam autem habent θέσεις similitudinem cum loco communi. Sed hoc tamen maxime distinguuntur, quod ille ad amplificandam & augendam causam assumitur, hæ ad explicandam & probandam. Et ille quasi certa re declamitatur, θέσις disputatur & disseritur. Denique ille affectuum, hæc considerationis est.

Ex his iam apparet, & leges partim ad θέσεις, partim ad ὑποθέσεις referendas, ut & Aphthonius docuit. Ad theses, si lex eiusmodi esse dicatur, quæ hactenus desiderata fuerit: aut in dissuasione, quæ sit perflua. Itemq; quæ bona, utilis, speciosa, contraria ue sit. Ad ὑποθέσεις uero si quasi addita persona, lex Solonis aut Lycurgi laudetur aut uituperetur. Sed ut omnino dicam quod sentio, proprium de legibus caput faciendum non fuit. Nam ad probationes refutationes ue, laudemq; ac uituperationem, hæc tractatio tota est referenda. Ii quidem qui superioribus temporib. soli eruditi & docti habiti sunt, & iurisconsulti appellati, θέσεων quandam tractationem & usum qualemcunq; retinuerunt in responsionib. suis, quæ ipsi consilia nominare solent, solent enim non modo statuere & decidere de re ad se relata, sed contraria etiam argumenta colligere & quærere, facto, uel, ut aiunt, specie facti & casu proposito, atq; hæ certe ad θέσεων rationem pertinent.

Præterea & hoc considerandum, esse θέσεις quasdam simplices: ut, Ducenda ne sit uxor, sint ne Pygmæi,

gmæi, an Philosophiæ danda opera, alias comparationem habere, ut: Sitne quieta uita præferenda negotiosæ: præstetne imperatorum gloria oratorum gloriæ: an sit satius mori, & quidem excruciatum, quam fidem uel hosti fallere, alias, etiamsi non habeant comparationes, tamen περιστάσεις habere: ut, Sitne studioso Philosophia ducenda uxor: Sitne accedendum ad Rempub. cupido bonarum artium et studiorum humanitatis: sintne Pygmæi τρισπιθαμιαῖοι in Libya. Tales sunt Ciceronianæ paulo ante expositæ.

Præterea, etsi θέσεων tractatio aliquo modo ad capita assertionum & reprehensionum seu refutationum superius exposita referri posse uideatur, tamen horum sua quædam est & peculiaris consideratio. Ibi enim contra id quod ab alio probatum ostensumq; fuit, dici solet, aut aliquid ueluti propugnari oppugnariue: hic uero, quid sentiendum statuendumq; sit aliqua de re proposita, in utranq; partem disserendo quæritur. Vt si dicam, Recte dictum esse hoc a Socrate:

ὅτι φρόνησις ἐστὶν εὐαρμοστία τῆς ψυχῆς.

Aut minus præclare hoc dixisse Horatium, Virtus est uitium fugere, κατασκευαστέον alterum, & alterum ἀνασκευαστέον. Sed si quæram, τί ἐστι φρόνησις? et quid uirtus? iam hæ fuerint θέσεις.

DE DECLAMATIONIBVS & fictis materijs.

ATq; ita tandem ad eas, quas uocant declamatiõnes, peruentum est, in quod exercitium fieri potest, ut omnium superiorum capitum tractationes atq; usus incidant. Declamationum autem nomen ætate Ciceronis exortum uidetur, atq; ita traditũ reperimus. Græci μελέτας dixere. Ea initio fuerant certaminum forensium quædam simulacra, cum domi meditarentur, & intra parietes tentarent, quæ foris & in multitudine acturi prolaturiq; erant. Id Latini uocarunt commentari, de quo Cicer. in Bruto, ubi Seruij Galbæ meminit. Omnibus excluſis commentatum in quadam teſtudine cum ſeruis literatis fuiſſe, quibus aliud dictare eodem tempore ſolitus eſſet, interim cum eſſet ei nunciatum, tempus eſſe, exiſſe in ædes eo colore, & ijs oculis, ut egiſſe cauſſam, non cõmentatum putares. Et de ſe. Huic ego doctori, & eius artibus uarijs & multis, ita eram tamen deditus, ut ab exercitationibus oratorijs nullus dies uacuus eſſet. Commentabar declamitans, ſic enim nunc loquuntur, cum M. Piſone, & cum Qu. Pompeio, aut cum alio quo cotidie, &c. Sed primum Græci, deinde Latini quoq;, & a ueritate, & omni ueritatis ſimilitudine hæc ad meros luſus & iocos adduxere, ut de quibuſdam quæſtionum Græcarum, & de Senecæ controuerſijs licet intelligere. Poſtea tota etiam res ad uoluptatem, & delectandos auditores, id eſt, ad ἐπιδειξιν eſt translata, tum Græci quoq; λαλιὰς nominarunt. Expoſuerunt autem diſputaruntq; ad hunc modum etiam

etiam ueteres, materias quas uocarunt improbabiles, id est, ἀδόξους, & πονηρὰς ὑποθέσεις, de quibus & supra mentio habita. Atq; illa quidem ὑποθέσεων exercitia, id est, ut materiæ & controuersiæ scribantur, reuocare in scholas nostras non facile fuerit, cum alijs de causis, tum quod in superiorum temporum barbaria & corruptis studijs ea pars, quæ est his tractationibus subiecta, ab intelligentia & arte auulsa est, & ad quẽdam expertem rationis ueræ usum fori translata. Itaq; totum hũc campum πολιτικῶν & ῥητορικῶν λόγων occuparunt uacuum, & in illo excurrerunt latißime homines non satis eruditi, neq; docti, sed callidi & astuti.

Quod genus nunc etiam in foro, iudicijs, & republica regnat. Atq; haud scio, ut nunc se res habet, utrum ad speciem illam dignitatis & amplitudinis nihil prosit doctrina atq; eruditio literarum nostrarum, ac potius noceat. Sed de hoc non est propositum uerba hoc tempore facere. Relinquitur ergo nunc deliberationum & demonstrationum genus nobis, in quæ tamen communia quædam incidunt, ut sunt non in eloquentia modo, sed in omni uirtute: quibus si quem Deus benigne respexerit, mirifice instrui & præparari ad illa quoq;, ut uolunt, splendida & speciosa studia, & uitam illustrem, & iuris (ut aiunt) interpretationem, & ita excoli possit, ut diuina manu fictus esse uideatur. Inerunt enim nostris exercitijs cohortationes, dehortationes, laudationes, uitupe-

rationes, accusationes, defensiones, inquisitiones, comparationes: quæ certe & in prudentia & in rixis forensibus uigent atq; geruntur. Sed ea quæ essent ἐπιδεικτικὰ, ueteres non modo in lusu, & ad delectationem, neq; in exercitijs tantummodo, sed etiam serio, & ad excitandam curam uirtutis ac laudis, & docendam ueritatem, & in publicis cœtibus usurparunt. Argumento exemploq; sunt πανηγυρικοὶ λόγοι, id est, orationes sapientum & eloquentum uirorum, habitæ in illis celeberrimis conuentibus ludorum Græciæ.

Sed formæ horum sunt hæ fere:

ὕμνοι, γαμήλιοι, γενεθλιακοὶ, ἐπιθαλάμιοι, προσφωνηματικοὶ ἐπιτάφιοι, ἀθλητικοὶ, κλητικοὶ, ἀποπεμπτικοὶ, ἢ πεμπτικοὶ, δύκτικοὶ, ἐγκωμιαστικοὶ, ψεκτικοὶ, πρεσβδυτικὰ, στεφανωτικοὶ, παραμυθητικοὶ, σωτακτικοὶ, συμβελδυτικοὶ.

Id est, Cum Numen diuinum laudibus celebramus, cum de nuptijs, cum de nato, cum nuptiarum quasi die, cum salutantes, cum in funere, cum in certaminibus, cum inuitantes, dimittentes, deducentes, optantes, laudantes, uituperantes, de legatione, cum præmia decernentes, tribuentesue, consolantes, constituentes, consulentes, dicimus: quorum exempla breuiter cum referri nequeant, longioribus etiam in præsentia supersedendum putauimus.

Græci inter exercitia Rhetorica, etiam eam ponunt, quam uocant ἐξεργασίαν & ἐργασίαν. Ponunt & lectionis atq; audiendi studium. Quorum hæc duo

posteriora

posteriora doctrinæ sunt & institutionis cuiusdam communis, cum non solum ad audienda ea, quæ a Magistris recitentur aut dicantur in scholis, cum utilitate in attentione animorum & cura intelligendi, discipulos, assuefieri, sed ad ueritatem lectionis pronunciationisq;, quoad poterit, etiam deduci oporteat, quod non modo puerili in ætate faciendum præstandumq; est inter initia quædam studiorum: sed hoc exercitium audiendi legendiq; ut primum usurpari necesse est, ita in nulla ætate negligi, omniq; tempore frequentari debebit. Non enim dici potest quantum conferat perfectioni etiam cuidam studiorum, & audire sæpe alios, & optimorum autorum scripta clare & distincte recitare. Quapropter ualde reprehendenda sunt fastidia eorum, qui cum primum posse se opus aliquod eruditionis edere sperauerunt, neque alios deinde magis audiendos, neq; sese amplius quasi erudiendos existimant. Itaq; neq; ipsi aliorum magis doctrinas discendi caussa unquam frequentant, neq; ita legunt ueterum scripta ut necessaria, utq; imitanda illa sibi esse censeant: sed quorũcunq; libellos corripiunt, & sese quadam cognitione uaria, incerta, & quod ex eo sequitur, friuola complent. Sed hæc omnia sunt uitia temporum, quibus ordo & disciplina, cum in studijs, tum tota in uita sublata interijt.

Ἐργασία est Rhetoricæ copiæ exercitium, & magis quidem inuentionis quam elocutionis: quæ in diuersa capita nostrorum exercitiorum incidere potest.

Sed de hac nunc uerba facienda non fuere. Dicetur autem a nobis (Deo fauente) alibi: cum nostras rationes explicabimus, de orationis bonæ conformatione. Græci etiam non solum Theses ad declamatorium quendam modum tractarunt in primis quoq; exercitijs eloquentiæ, sed alia etiam omnia, de quibus singilatim capitibus suis supra diximus, similiter copiosius & fusius explicarunt. In quo confundi mihi doctrina hæc uidetur. Itaq; nos studuimus simplicius, & quasi minutius exponere omnia, quæ per se cognita & perspecta apte, deinde in disputatione dictioneue longiori commisceri, & loco poni assumiq; facile possent. Id igitur exercitati per hæc posteriora capita facere experientur.

Est quædam designatio & ueluti ἐγχείρησις præclara διτσως in epistola Ciceronis ad Matium. Sic enim ait: Sed te hominem doctissimum non fugit, si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur, in utramque partem de tuo officio disputari posse: uel in eam qua ego uti soleo, laudandam esse fidem & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: uel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriæ uitæ amici anteponendam. Quæritur enim, utrum amicitia cum tyranno conseruanda, & præstanda beneuolentia sit etiam mortuo. Tale fuerit, An sint inferi & manes, neq; hæc omnia ad terrorem multitudinis conficta: ut Cicero alicubi putat, & hanc opinionem ad inuidiam tribuit Cæsari Cato apud Salustium: Credo

falsa

falsa existimans ea, quæ de inferis memorantur, diuerso itinere malos a bonis loca tetra, inculta, fœda, atq; formidolosa habere. Est autem & breuior Theseon exercitatio Dialectica, cum contra aliquam πρόταση, uel argumentationem, id est, συλλογισμὸν, contrarium infertur: quod in Topicis traditur. Illud autem Rhetoricum tum demum erit præclarum, si ipsius copia, huius certæ et firmæ ratiocinationis fundamẽto nitatur, de quibus Cicero ita in Oratore: Hæc igitur quæstio a proprijs personis & temporibus, ad uniuersi generis orationem traducta, appellatur thesis. In hac Aristoteles adolescentes, non ad Philosophorum morẽ tenuiter disserendi, sed ad copiam rhetorum, in utranq; partem, ut ornatius & uberius dici posset, exercuit. Idemq; locos, sic enim appellat, quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utranq; partem traberetur oratio. In his igitur iam omnis eruditio & uniuersum studium artium bonarum quasi consummatur, ut de quauis re proposita & inuenire atq; excogitare necessaria, & comprehensa animo diserte & ornate eloqui possimus.

Atq; ut non statim neq; temere huiusmodi disputationes & materiæ grauiores atq; pleniores obtrudendæ pueris sunt, ita ubi etiam in illis iam exercendi uidebuntur, & errata cum magna cura a Magistris emendabuntur, & ipsi in spe proficiendi confirmabuntur: & si minus forte aliquantisper res successerit, in studij & assiduitatis tamen cursu retinebuntur,

neq; nisi manifesta in uecordia & inertia desperationi illorum locus relinquetur. Sed Magistri bonarum artium, officium suum hac etiam in parte facere scient. Itaq; me hactenus monuisse satis fuerit. Vtinam quidem his in rebus non frustra a nobis laboraretur, & hanc uiam rectius instituendi præclariusq; erudiendæ adolescentiæ & aliquo cum illorum fructu & nostra gratia demonstraremus, ipsiq; adeo ingrederemur. Recordamur nos quidem, hanc commoditatem quondam nos & nostrorum temporum discipulos magno fuisse redemturos, si potuisset contingere. Nunc ultro cum offeratur, nunc, ut aliqui uti uelint, cum flagitatur, illa tamen respuitur atq; repudiatur: ut ualde metuam, ne labores nostri magis posteritati, si qua tamen futura est erudita & docta posteritas, quam huic ætati desudent. Manifesta est enim neglectio incredibilis bonarum artium & studiorum humanitatis: mirifica animorum dissolutio, leuitas, uanitas. Nullus reliquus uirtutis respectus, aut cultus. Sed de his non nunc etiam ueterem, & a nobis sæpe usurpatam querelam renouare, & eandem toties quasi cantilenam repetere libet. Itaq; de miseria & infelicitate seculi hac in parte nostri, nihil dicam amplius. Hoc dicam: Quotcunq; forte erunt cupidi eloquentiæ, eos frustra facturos, conaturosq; omnia, sine cura & opera assidua scribendi. Eloquentiam autem cum nemo non modo illam orationis forensis, & in causis ciuilibus uehementis & acris, uim atq; præstantiam,

quam

quam autore Cicerone, proprie significat, intelligi uolo: sed facultatem quandam, de quacunq; re proposita differendi, in usurpatione non solum uerborum, sed etiam sententiarum laudabilium, conformata oratione, figuris, & toto habitu, secundum proprietatem & naturam eius sermonis, quo utendum putauerimus, ut nunc Græci Latiniue: nam de de his iam loquimur. Sed hoc etiam loco repetendum uidetur, quod supra diximus, eam facultatem intelligendam, quæ omnino nostro studio, & his temporibus comparari posse uideatur. Ne quis illi non modo formæ perfectæ, sed etiam quasi effecto & informato operi cuidam antiquitatis frustra quasi imbiet. Hanc nostratem cum illa ueteri collatam infantiam, appello ego nunc eloquentiam. Huius illa quæ memorauimus, quædam particulæ, atq; elementa, uobis in primis in hac doctrinæ teneritate diligenter consectanda sunt. Dico etiam hoc: Non ad uulgus hanc, sed doctos, uel qui iam uiuant, uel posthac futuri sint, quæri ac parari: sic tamen omnibus in rebus atq; locis, omni tempore, cum quibuscunq; hominibus, hac instructi, ut splendidæ sint & cum laude uersaturi.

Atq; me non fugit, a nobis esse quædam proposita & commemorata, quæ puerilem intelligentiam superare uideantur: etsi non rei in hoc est, sed hominum uicium. Non enim illius tanta difficultas, sed horum tanta est inertia. Huc accedit, quod studijs etiamnum languentibus, & confusa doctrina, multa per

se grandia quasi contrahenda, & humilia exaggerranda sint. Si enim hoc agimus, ut ueritas & rectaratio in studia rursum deducatur, facere aliter non possumus, quam ut permulta quasi indicemus pueris, quæ illi assequi acie ingenij sui nequeant. Nam de prima institutione, tanquam fundamentis reliqui operis, omnis perfectio & stabilitas speranda est. Quam multa de uirtute Magistri morum disputant coram pueris, quæ illi quo tendant nequaquam perspiciunt? Sed his tamen hæc audire, & in horum auribus istas saltem uoces recti atq; honesti, & laudem atq; decus, resonare prodest. Quid? nonne paruulis nostris multa dicimus & demonstramus esse facienda, quæ in illa ætate fieri omnino nequeant? Cur uero sapientißimi ueteres Græci scripta Homeri proposuere pueris suis, de quibus initia literarum perciperent, si nihil huic ætati, nisi ipsi expositũ atq; euidens offerendum est? Quapropter multa & solent & debẽt præcipi pueris, quæ illis ostendi quasi in remotiore pictura, magis quã explicari & tradi possint. Neq; debent hi perturbari animis, si qua Magistrorum dictata obscuriora uideantur: sed potius gaudere, se non intelligere omnia, ita enim certe de præclara doctrina intelligent aliqua. Isti uero qui nulla in re dubitant, de nulla quærunt, nihil certe discunt. De multis igitur quærere, in multis hærere pueros oportet: non statim tenere & percipere omnia. Itaq; Pythagoras, qui sapientiæ princeps habitus fuit, eam quã ipse uocauit [illegible] instituit,

instituit, id est, aliquot annorum silentium, quibus sui discipuli tantummodo audirent, neq; ullam interea temporis uocem emitterent. Ego *tamen hanc disciplinam non reuoco, neq; in pueriles quidem ludos introduco, sed pueros uolo percontari, scisciatari, interrogare, cum Magistros suos, tum ex condiscipulis eruditiores: ita non solum ipsi discent plura, sed etiam eorum Magistris quantum proficiant notum erit. Omnia autem nequicquam disputantur, dicunturq;, nisi ipsi libenter & studiose hæc exercendo meditando q; sequi uolueritis.* Hoc *autem in primis, iterum, ut Poëta ait, repetens, iterumq; monebo,* STILO *operam dabitis, scriptiones frequentabitis, in his omnem fructum atq; spem studiorum positam arbitrabimini. Non deest uobis Magistrorum cura & attentio, non temporum quædam commoditas: quo officio, & qua felicitate qui uti noluerit, is sic habeat, non dignum esse se, qui in hac liberalitate & bonitate studiorum educatur atq; uiuat.*

FINIS.

PHI-

PHILIPP. IOACHIMI F. CAMERARIVS.

QVæ in huius libelli prioribus editionibus notata fuerant in pagellarum marginibus, ea cum hic exprimentes mallent seorsim exponi, dedi in hanc partem operam istam quidem minime laboriosam, quæ esset descriptionis tantum, sed hæc tamen studui alijs quibusdam quasi cumulari, de ijs quæ interrogando & percunctando potui amplius cognoscere. Quædam etiam inter uarias curas & occupationes multiplices & graues animi perturbationes, ultro demonstrata uelutiq; subiecta ab autore huius libelli studiose adiunxi. Quæ etsi exiliora & ueluti ieiuniora fortaßis uidebuntur, confido tamen fore, ut grata acceptaq; sint legentibus, utq; non improbetur studiosis literarum, neq; ab his fastidiatur diligentiæ meæ industriola.

Charta 19. uersus de Tantalo Græci sunt in prologo Orestis Euripidei, quos asscribendos putaui, quia non tam est interpretatio hæc Græcorum, quam explicatio sententiæ.

ὁ γὰρ μακάριος, κ' οὐκ ὀνειδίζω τύχας,
διὸς πεφυκὼς, ὡς λέγουσι, τάνταλος
κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον,
ἀέρι ποτᾶται.

Charta 20. locus Herodoti indicatus, est in primo libro, cuius inscriptio Clio.

Charta

Charta 22. De Archilochi fabulis alibi dicta sunt plura ab autore huius libelli. Archilochi autem Parij meminit Herodotus libro primo, atq; eum in suo quodam iambo Trimetro mentionem fecisse adulterio & cæde domini sui Candaulis a Gyge satellite parti regni, quod illa Archilochus ætate uixerit. Indicatur paulo post Platonica mentio Archilochi. Plato enim libro 2. Rerumpublica. Ita: τὴν δὲ τοῦ σοφωτάτου ἀρχιλόχου ἀλώπεκα, ἑλκτέον ἐξόπισθεν κερδαλέαν καὶ ποικίλην. Memorantur autem ab Ammonio Grammatico ubi quid sit αἶνος docet, hi uersus Archilochi:

πίθηκος ἤει θηρίων ἀποκριθείς
μοῦνος ἀν' ἐσχατιήν,
τῷ δ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλῆ συνήντετο
πυκνὸν ἔχουσα νόον.

Eustathius in librum Odyss. ξ. & hos uersus adducit tanquam αἶνον, Archilochi:

αἶνός τις αὐθρώπων ὅδ' ὡς ἄρ' ἀλώπηξ
ἠδ' αἰετὸς ξυνωνίαν ἔμιξαν.

Vel ut alibi, ἔθεντο. Sunt autem hi uersus Iambici senarij σκάζοντες.

Charta 23. Vbi legitur, res est detrimentosa, audiui, ne quid dißimulem, autorem libelli dicentem, malle se scriptum fuisse, res incommoda & plurimum afferens detrimenti.

Charta 24. Locus Liuij notus est in libro primo. Itemq; Hesiodi uersus:

ἄφρων

ἄφρων δ' ὡς κ' ἐθέλει πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
νίκησ τε στέρεται πρὸς τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Charta 26. Cyri elegans fabellæ narratio est in Herodoti libro primo.

Cha. 27. Versus παροιμιώδης Theocriti est in illius Idyllio, cui titulus κυνίσκας ἔρως ἢ θυώνιχος.

Plautina indicata, sunt in Sticho. In ultimo autem libro Rerumpublicarum, id est, τῶν πολιτειῶν. Alcini apologi meminit Plato, festiua quadam nominum ueluti allusione: ἀλλ' οὐ μέντοι σοὶ, ἦν δ' ἐγὼ, ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ, ἀλλ' ἀλκίμου μὲν αὐδρὸς ἠρὸς τοῦ ἀρμενίου τοῦ γένους παμφυλ.

Char. 29. Horatiana, Viuendi qui &c. sunt in primo epistolarum illius libro. Et quæ statim sequuntur, eodem.

Aristotelica sunt in 2. lib. Rhetericorum, Quo loco, quod autor huius libelli forte relegens ista: Custodiam & satellitium decreturi, censuerit fuisse melius, si ita scriberetur, custodum ac satellitum præsidia: non potui ipsum quoq; non indicare.

Charta 37. Quod fabula significari, dicitur de celeritate. Id conuersum est de III. libro ἀπομνημονευμάτων Xenoph. κρείττον ἐν τῇ ὁρμῇ σπεύδειν ἢ ἐν τῇ ὁδῷ.

Charta 39. Homeri uersus est odyss. θ'. expositus charta 78. Sed senarij uersus sunt translati de Græcis Achæi referente Laertio in Menedemo, his:

ἡλίσκετ' ἄρα καὶ πρὸς ἀσθενῶν ταχὺς,
καὶ πρὸς χελώνης ἀετὸς ἐν βραχεῖ χρόνῳ.

Charta

Charta 41. *uersus Tragicus pronuntiatur ab Electra Sophoclea.*

ὄρα. πόνε χωρὶς γὰρ ἐδὲν δύτυχεῖ.

Pindarica sunt ὀλυμπίων, ε. ἀεὶ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάργαται πρὸς ἔργον κυδιόωσι κεκαλυμμένοις.

Charta 45. *Quas uocarunt* φάσεις, *id est, fulxiones Lunæ, eæ poterunt pluribus nominibus exponi. Prima est* μηνοειδὴς, *Quæ sunt Lunæ cornua, postea* αὐξιφωτεῖσα, *id est, lumine augescens, & deinde a pleno orbe* λειψιφωτεῖσα, *complures habet appellationes Græcorum significantes luminis uarietatem, donec illa* σωροειδέσα *fiat* ὑπαυγὴς. *Sed hæc alio loco magis idoneo copiose exponenda sunt.*

Non expauescendum ad quemlibet strepitum uerborum. Hoc genus timidorum prouerbij figura nomen habet Græcum ψοφοδεῶν.

Charta 46. *Cautiores reddi solere homines damnis acceptis. Sententia tributa Crœso in Herod. libro primo, seu* κλειοῖ, τὰ δέ μοι παθήματα τὰ ἐόντα ἀχάριτα, μαθήματα γεγόνεε.

Charta 47. *Non recte impares cum imparibus coniungi. Vetus est* ἰσότης ἡ φιλότης, & τὸ ὅμοιον φίλον. *Secundum quæ prouerbia,* ὅτι κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἰζάνει. & ἴγνωτε γὰρ φῶρα φωρὶ λύκος λύκον, &, ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον, *de quibus disputatur in Nicomachiorum.* γ'.

Charta 49. *Corinthia quodam tempore Res. Hæc narrantur in Herodoti libro V. quæ est* περιηχόεν.

Charta

Charta 66. De Zopyro narratio extat in Thalia. De Thrasybulo in Terpsichora. Vbi in editis exemplaribus perperam legitur: τῶν ἑωυτοῦ συνάμορον, pro σινάμωρον, quod labefactatorem & uiolatorem significat.

Charta 97. Herculem in ea lo. ex libro primo Liuij. Et charta 98. Missus Hannnibal, ex libro 21. & Isocratea extant in oratione, quæ inscribitur λόγος πανηγυρικός. Et Isocratea charta 99. in Panathenaico.

Charta 115. Græci uersus extant ἐν γνωμολογίᾳ Stobæi capite περὶ ἀδολεσχίας, quos & ipsos putaui ascribendos esse φιλήμονος.

τὸν μὴ λέγοντα τὸν δεόντων μὴ δὲ ἕν
μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς.
τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
μὴ δ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον.
τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν ὅμηρον λαβέ.
οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
ἀλλ' οὐδὲ εἷς ὅμηρον εἴρηκεν μακρόν.

In capite autem περὶ βραχυλογίας hi leguntur uersus, nescio cuius:

οὐκ ἄντις εἴπῃ πολλὰ θαυμασθήσεται,
ὁ μικρὰ δ' εἰπὼν μᾶλλον ἂν ᾖ χρήσιμα

Non si quis multa dicet admirabimur,
Sed pauca magis & utilia si dixerit.

Aesopica fabella elegans a Sylla narrata exponitur ab Appiano ἐμφυλίων. α. Et altera in Plutarcho

in Ara-

in Arato elegante breuitate, hæc. τῷ κόκκυγι, φησὶν ἄϊσωπος ἐρωτῶντι τὰς λεπτοὺς ὄρνιθας, ὅ, τι φεύγοιεν αὐτὸν; εἰπεῖν, ἐκείνους ὡς ἔσαι ποτὲ ἱέρακι.

Item alia πολιτικῶν παραγγελμάτων ὁ αὐτὸς πε βασιλίσκῳ ἐπὶ τῶν ὤμων τοῦ ἀετοῦ κομισθεὶς ἀμφίδιον ἐξέπλη καὶ προέφθατε.

In ijs quæ Suidas collegit, particulæ quædam fabellarũ Chabriæ referuntur cum alijs locis tum in uerbo, ἀμῶ. & κρίμνον,

ἐγὼ τε λιτῆς ἐκ ἀφίξομαι βώλε,
ὑφ' ἧλις κρίμνα μὴ φοβέρμῳ τρώγω.

Quæ Horatius ita fecit libro Serm. secundo

-- Valeas me silua canusq;
Tutus ab insidijs tenui solabitur eruo.

Et in nomine σισύρα. & ἑταιρεία, & ἀχαΐνη.

Extat & ab Aristotele narrata Momi fabula libro tertio περὶ μορίων.

Exempla fabularum sumi poterunt etiam alia aliunde, De capite & cauda Draconis inserta est a Plutarcho uitæ Agidos & cleomenis. Et in libro quo quærit: Sit ne respublica capessenda seni, fabulam de Erinacio expositam in libello autore Aristotele, eleganter ut similitudinem usurpauit in comparatione.

Narrationes etiam id est ea quæ διηγήματα appellantur, passim in scriptis autorum extant. Tres elegantes narrationes continuantur libro XIII. Aeliani cum & aliæ passim in hoc autore reperiantur, sed sunt hæ admodum bellæ, de Atalanta, cui & ἐκφράσεις insertas uidere licet, & de Macareo, & de busto Boli.

Est uenusta narratiuncula de periculo facto silentij muliebris in libello Plutarchi de loquacitate, id est περὶ ἀδολεσχίας. Item de tonsore quem in equuleum coniecissent loquacitas sua, & ibidem atq; alibi in hoc autore permultæ. Fabulæ quas Aegyptiacas uocamus crebræ in libello de Iside & Osiride. Et in libello, de iis qui serius supplicium dant numini diuino, Platonica imitatione narratus casus Aridæi Cilicis, cui postea nomen fuit Thespesio, et aliæ in libello quo disputat de oraculis repressis.

Inter μιμογράφους, Id est scriptores mimorum celebratur inprimis Sophron Syracusius, cuius scripta traditur Platonem non deposuisse de manu, atq; esse illa reperta subter puluinum dormientis reposita.

Charta 116. Virgiliana sunt Aeneidos libro IIII. & libro III.

Charta 117. Sophoclis uersus in fabula cui nomen Electra. Ibidem Virgiliani uersus Georgicorum libro IIII. & libro secundo.

Charta 118. Virgiliana sunt Aeneidos libro I. libro XI. libro 2. libro IIII. libro VII. Et charta 119. Aeneidos libro VII. Ouidiani uersus Metamorphoseon libro secundo.

Charta 122. Virgiliana sunt libro Aeneidos secundo.

Charta 123. Theocriti uersus in Idyllio cui nomen Ἄλας.

Charta 125. Virgilianus orion libro X.

Charta

Charta 126. Ouidiana libro VII. metamorph. & libro XV. Pausaniæ locus primus est in Arcadicis. Secundus charta 127. Bœoticis. Tertius rursum Arcadicis.

Charta 129. Ebrietatis pictura indicatur a Pausania in Corinthiacis.

Charta 134. Versus Homericus

δύσετο τ' ἠέλιος σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγηαί.

Odyss. γ'.

Εκφράσεων exempla sunt indicata sane multa, Est autem, ut uidetur, imitatione Xenophontea elegans descriptio Plutarchi uirtutis & fortunæ in libro de fortuna Romanorum. Et Aeliani libro XII. De Aspasia, ἦ δὲ καὶ τὴν κόμην ξανθή, καὶ οὐλὴ τὰς τρίχας ἠρέμα. ὀφθαλμοὺς δὲ εἶχε μεγίστους, ὀλίγον δ' ἦν ἐπίγρυπος. τὰ δὲ ὦτα εἶχε βραχύτερα. ἦν δὲ αὐτῇ καὶ δέρμα ἁπαλὸν. ἐῴκει δὲ ἡ χροιὰ ἡ κατὰ τοῦ προσώπου ῥόδοις. διὰ ταῦτά τοι οἱ φωκαεῖς ἔτι παιδίον ὄσαν ἐκάλουν μιλτώ. ὑπέφαινε δὲ καὶ τὰ χείλη ἐρυθρά, καὶ οἱ ὀδόντες λευκότεροι χιόνος ἦσαν. ἦν δὲ καὶ τὰ σφυρὰ ἀγαθή, καὶ οἷα ὅμηρος λέγει τὰς ὡραιοτάτας γυναῖκας, κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φωνὴν καλλισφύρους ὀνομάζων. φώνημα δ' εἶχεν ἡδὺ καὶ ἁπαλὸν. εἶπεν ἄντις λαλούσης αὐτῆς, ἀκούειν σειρῆνος. πολυπραγμοσύνης δ' ἁπάσης γυναικείας καὶ περιεργίας ἀπήλλακτο. Hæc conuersa etiam in sermonem Latinum placuit ascribere. Erat autem capillo quoq; flauo & crinibus modice crispis. oculos habebat ingentes, & nasum nonnihil aquilum, Aures uero breuiores. Cutis erat tenera, & in ore color similis rosarum. Eamq; ob caussam phocaenses

puellam adhuc admodum illam nominarant Milto, quasi Latine dicamus Miniatam. Sublucebant & labra rubentia, & erant dentes niue candidiores: Tali quoq; præclari, cuiusmodi formosarum mulierum Homerus perhibet, sua uoce appellans significante pulcritudine talorum, ut, si liceret, latine dici possint pulcritalæ. Sonus uocis suauis & tener. Diceres illa loquente te Sirenas audire. Nihil autem penitus in ea animaduertebatur curiositatis muliebris neq; laboris superflui.

Apud eundem Aelianum præclara est enarratio picti militis armati a Theone, libro secundo. Et mox libro III. περίηγησις copiosa τεμπῶν.

In Alexandro Plutarchi armorum ipsius ἔκφρασις est, quam ascripsi. ταῦτα ἐπιστείλας παρμενίωνι τὸ κράνος περιέθετο. τὸν δὲ ἄλλον ὁπλισμὸν εὐθὺς ἀπὸ σκηνῆς εἶχεν ἐπένδυμα τῶν σικελικῶν ζωστὸν, ἐπὶ δὲ τούτῳ θώρακα διπλοῦν λινοῦν ἐκ τῶν ληφθέντων ἐν ἰσσῷ. τὸ δὲ κράνος ἦν μὲν σιδηροῦν, ἔστιλβε δὲ ὥσπερ ἄργυρος καθαρὸς ἔργον θεοφίλου. συνήρμοσται δὲ αὐτῷ περιτραχήλιον ὁμοίως σιδηροῦν, λιθοκόλλητον. μάχαιραν δὲ θαυμαστὴν βαφῇ καὶ κουφότητι δωρησαμένου τοῦ κιτιέων βασιλέως εἶχεν, ἠσκημένος τὰ πολλὰ χρῆσθαι μαχαίρᾳ παρὰ τὰς μάχας. ἐπιπόρπαμα δὲ ἐφόρει, τῇ μὲν ἐργασίᾳ σοβαρώτερον ἢ κατὰ τὸν ἄλλον ὁπλισμὸν. ἦν γὰρ ἔργον ἑλικῶνος τοῦ πηλαιοῦ, τιμὴ δὲ τῆς ῥόδιον πόλεως ὑφ' ἧς ἐδόθη δῶρον. ἐχρῆτο δὲ καὶ τούτῳ πρὸς ἀγῶνας. ἄχρι μὲν οὖν συντάττων τι τῆς φάλαγγος ἢ παρακελευόμενος ἢ διδάσκων ἢ ἐφορῶν παρεξήλαυνεν, ἄλλον ἵππον εἶχεν, τοῦ βουκεφάλα φειδόμενος ἤδη παρήλικος ὄντος, χωροῦντι δὲ πρὸς ἔργον ἐκεῖνος προσήγετο, καὶ μεταβὰς εὐθὺς ἦρχε μεθόδου.

His

His mandatis quæ nuntiarentur parmenioni imposuit galeam capiti. Sed alia arma, quæ gerebat, ea in tabernaculo iam induerat, ueſtis erat operis Siculi cum cingulo. Super hanc loricam induxerat duplicem lineam acceptam ex præda Iſſica. Galea uero erat illa quidem ferrea, ſed ſplendore equalis argento puro, opus Theophili, cum hoc concinnatum fuit ferrum circundans collum, gemmis inſertis diſtinctum. Gladium habebat ita temperatum ut & duritia & leuitas eſſet admirabilis, donum Regis Citienſium, aſſuefactus ad uſum crebrum gladij in prælijs. Geſtabat paludamentū magis exquiſiti & ſuperbi operis quam pro cætera armatura. Hoc opus erat ueteris Helicōnis, & honorificum munus ciuitatis Rhodiorum, quæ illud donauerat. Eoq; in certaminibus utebatur. Donec quidem conſtituens in phalange aliquid, aut cohortans aut docēs aut attendens præteruehebatur, equum habebat alium, parcens Bucephalæ iam ætate grandiori. Aggredienti autem rem, hic adducebatur & eum ille aſcendens ſtatim impreſſionem faciebat.

Charta 141. De Milone eſt apud Fabium libro primo. Huic ſimile quod in Gnomologia Stobæi capite περὶ φιλοπονίας tribuitur Fauorino χθαμῶ τινα μόχον μικρὸν ἀραμένην καὶ τοῦτο ποιοῦσαν καθημέραν λαθεῖν βοῦν φέρουσαν. Suſtollentem uitulum paruum anum quandam idq; facientem cotidie non animaduertiſſe ſe tandem portare bouem.

Charta 144. Verſus Homericus de uulnerata uenere Iliad. ε.

Charta 145. Xenophontis locus in libello de re Equestri. ἀπρονόητον γὰρ ὀργὴ, ὥστε πολλάκις ἐξεργάζεται ὧν μεταμελεῖν ἀνάγκη.

Charta 146. Versus Euripidis ex prologo fabulæ cui nomen φοίνισσαι.

Charta 147. Versus Græci quorum hoc loco interpretatio ponitur, hi memorantur,

τί δ' αἰσχρὸν ἂν μὴ τοῖσι δρωμένοις δοκῇ;
αἰσχρὸν τὸ γ' αἰσχρὸν, κἂν δοκῇ κἂν μὴ δοκῇ.

Charta 149. pindari locus πυθίων δ.

Charta 150. Nestor apud Homerum Iliad. β'.

Chriæ & Gnomæ & παραβολαὶ, In Plutarchi scriptis frequentes sunt & crebræ, & omnibus locis occurrunt, ut magis in eligendo dubitatio quam inueniendo cura suscipienda sit. Copia etiam χρειῶν suppetere potest de uitis philosophorum Laertij. perquam elegans & præclara χρεία est eius generis, quod σφακτικὸν uocarunt, quæ sunt in facto, in Alexandro Plutarchi, hæc Calani Indi, καταβαλὼν γὰρ ἐν μέσῳ βόρσαν τινὰ ξηρὰν καὶ κατεσκληκῆαν, ἐπάτησε τὸ ἀκρὸν, ἡδὲ εἰς ἐν πιεσθεῖσα τοῖς ἄλλοις ἐπήρθη μέρεσι, καὶ τοῦτο περιϊὼν ἐν κυκλῷ καὶ πιέζων καθέκαστον ἐδείκνυε γινόμενον, ἄχρις οὗ τὸ μέσον ἐπιστὰς κατέσχεν, καὶ πάντα οὕτως ἠρέμησεν. ἐβούλετο δὲ ἡ εἰκὼν ἔνδειξις εἶναι, τοῦ τὰ μέσα δεῖν μάλιστα τῆς ἀρχῆς πιέζειν καὶ μὴ μακρὰν ἀποπλανᾶσθαι τὸν ἀλέξανδρον. Proposita enim pelle arida atq; rugosa, calcare unam partem extremam, In quam illa depressa cæteris partibus sustolli. Idq; circumquaq; obiens & deprimens fieri ostendebat, donec insistens mediam continuit, & ita

ita iam omnes partes quieuerunt. Hæc autem imago hoc demonstrare uoluit, Media imperij loca Alexandrum potißimum premere neq; inde procul euagari debere.

Ad χρείας ἀνωνύμους apponi poterit & Apollonij peripatetici. A quo scribit Plutarchus περὶ φιλαδελφίας Reprehensum esse τὸν εἰπόντα δόξαν ἀκοινώνητον εἶναι, non dicto sed facto, quæ iam erit πρακτικὴ χρεία, quod minorem natu fratrem suum Sotionem fecisset ἑαυτοῦ ἐνδοξότερον, id est, ut dignitate & honore præstantiorem. Augentur & Chriæ sicut Gnomæ. Vt hæc Socratis ex Xenophontis ἀπομνημονευμάτων. β. a Plutarcho in disputatione, εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον quasi exaggerata hoc modo, ἄκουσμα μὲν γάρ ἐστι μηδὲν ἥδιον ἐπαίνου, κατὰ τὸν ξενοφῶντα, θέαμα δὲ καὶ μνημόνευμα καὶ διανόημα τῶν ὄντων οὐδέν ἐστιν ὃ τοσαύτην φέρει χάριν, ὅσην πράξεων ἰδίων ἐν ἀρχαῖς καὶ πολιτείαις, ὥσπερ ἐν τόποις λαμπροῖς καὶ δημοσίοις ἀναθεώρησις. Nam nulla auditio iucundior est, secundum Xenophontem, quam laudis, At spectaculum & recordatio & cogitatio rerum nulla est quæ tam grata sit, quam propriarum actionum in Magistratibus & Reip. administratione, tanquam in locis illustrib. & publicis, contemplatio.

Charta 151. de Chio eligente ad usum suum uinum deterrimum, (sic enim esse Græcum uerbum a se uersum malle se autor, potius quam peßimum, uel omissum hoc omnino fuisse, aiebat) demonstratus mihi est locus in libello Plutarchi περὶ εὐθυμίας, Vbi dicitur,

Vbi is qui cogitatione malorum ſuorum triſtitiam colligat, reprehenditur, οὐδέν τι τοῦ χίου βελλίων γενόμενος, ὃς πολὺν ὃς χριστὸν οἶνον ἑτέροις πιπράσκων, ἑαυτῷ πρὸς τὸ ἄριστον ὀξίνην ἐζήτει διαγευόμενος.

Charta 155. Sophoclis uerſus duo ſunt in Electra.

οὐ γὰρ θανεῖν ἔχθιστον, ἀλλ' ὅταν θανεῖν
χρήζων τις, εἶτα μὴ δὲ τοῦτ' ἔχει λαβεῖν.

Vergiliana ibidem ſunt in V I. Aeneidos.

Charta 156. Sophoclis nomine adductus uerſus eſt perperam, ἁμαρτήματι μνημονικῷ, legitur enim in Euripidis βάκχαις. τὸ σοφὸν δοὺ σοφία, τότε μὴ θνητὰ φρονεῖν.

Charta 157. Verſus Theocriti Idyllio V. θρέψαι καὶ λυκιδεῖς.

Homeri uerſus eſt il. ζ'.

Μοῖραν δοὺ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν.

Charta 158. uerſus Euripidis a Cicerone in ſecundo libro de diuinatione latine poſitus hic perhibetur, Μάντις ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Charta 158. ἀκροτελεύτιον Homerici uerſus eſt Iliad. ρ. & Iliad. υ. Reliquorum trium unus eſt in odyſſ. ι. alter Iliad. α. tertius Iliad. ſecundo.

Charta 160. Equi loquentis portentum Iliad. σ'. Canum ridicula diſceptatio in fabula Ariſtoph. cui nomen σφῆκες.

Charta 162. uerſus Homericus legitur Iliad. β'. ſed & alibi.

Charta 164. Virgiliana ſunt in libro IIII. & XII. Aeneidos.

Charta 165. locus Ciceronis in libro IIII. de finibus.

bus. Est non inuenusta προσωποποιία Alexandri fortunæ contradicentis in Plutarchi libro priore de Alexandri fortuna aut uirtute. Et in priore περὶ σαρκοφαγίας introducta persona unius ex primi ortus hominibus.

Charta 170. Ciceronis locus libro Epistolarum IX. papirio.

Charta 174. locus Ciceronis ad Atticum libro secundo.

Charta 176. locus Ciceronis oratore.

Charta 177. duo loci Ciceronis prior ad Atticum libro IX. posterior epistolarum libro VII.

Charta 178. Plutarchus παραγγέλμασι πολιτικοῖς, Quæ sunt præcepta gerendi Remp. ita, ὁδὲ ἀπλήστου δόξης ἢ δυνάμεως πᾶσαν ἑαυτῷ τὴν πόλιν ἀνατιθεὶς, καὶ πρὸς ὃ μὴ πέφυκε μηδὲ ἥσκηται προσάγων ἄυλον, ὡς καλέων πρὸς τὸ στρατηγεῖν, φιλοποίμην δὲ πρὸς τὸ ναυαρχεῖν, ἀνυίσας δὲ πρὸς τὸ δημηγορεῖν ὃν ἔχει παραίτησιν ἀμαρτάνων, ἀλλὰ προσακούει τὸ τοῦ εὐριπίδου,

Τέκτων γὰρ ὢν ἐπράσσες ἀ ξυλουργικά.

Qui in explebili cupiditate gloriæ aut potentiæ, sibi totum onus ciuitatis imponit, & admouet se ijs ad quæ neq; natus neq; exercitatus est. Quemadmodum Cleon ad ducendum exercitum, philopœmen ad principatum rei naualis, Annibal ad concionandum: Is quomodo excuset delictum non habet, sed audit insuper hoc Euripidis,

Abs te fabro haud tractata sunt fabrilia.

ibidem uersus Homericus est Iliad. ε.

Charta 181. Ciceronis locus in libro VI. ad Atticum.

Charta 204. In Diogenis Laertij uita Epicuri legitur ista a Cicerone conuersa Epistola sed inscripta Idomeneo.

Agesilai ἐπιστολιον laconicæ breuitatis admodum exponitur a Plutarcho πολιτικοῖς παραγγέλμασι, & Laconicis, ad Carem Hidriensem, istud: νικίαν, εἰμὲν ἐκ ἀδικεῖ, ἄφες. εἰδὲ ἀδικεῖ ἐμοὶ ἄφες, πάντως δ' ἄφες. Niciam, si innocens est, liberato. Sin deliquit, mihi liberato, omnino autem liberato. Nam hæc tocosa est ad medicum plane insanientem gloriando, huius secundum Plutarchum, βασιλεὺς ἀγησίλαος μανικῷ, ὑγιαίνειν. Sed Athenæus tribuit eam uerius, nisi fallor, Archidamo posteriori. Epistola Sophistica valde bella est in polemone Philostrati, ipsius ad Herodem Athenienſem, hoc modo perscripta. δεῖ ἐσθῆτος, χρῆσθαι ἐκ ἔχω. δεῖ βαδίζειν, πόδας ἐκ εἰσίμοι. δεῖ ἀλγεῖν, πῶς γὰρ πόδες εἰσί μοι καὶ χεῖρες. In Herode autem & breuitate admirabiles, & uerbis elegantes & sententijs graues epistolæ exponuntur ab eodem Philostrato. Reperto enim thesauro, territus magis copia ingente Atticus pater Herodis quam lætus fortuna, literas misit Imperatori Neruæ hoc exemplo. ἐυρηκα, ὦ βασιλεῦ, ἐπὶ τῆς ἐμαυτῶ οἰκίας ἐυρηκα. τί οὖν περὶ αὐτοῦ κελεύεις. Thesaurũ reperi Imperator, in domo mea. De quo si iubeas fieri, quæro. Cui Imperator rescripsit: χρῶ οἷς εὗρες. Quæ reperisti, ijs utere. Significat Atticus

rursum

rurſum inuidiam ueritus, ὑπὲρ ἑαυτὸν εἶναι τὰ τοῦ θησαυροῦ μέτρα, id eſt ſuperare conditionem ſuam magnitudinem reperti theſauri, Ibi Imperator opt. princeps, miſsis alteris literis, etiam abuti eum iubet fortunæ munere, cuius proprietas ſit ipſius: καὶ παραχρῶ, ἔφη, τῷ ἑρμαίῳ, τὸν γάρ ἐστι.

Charta 207. Thucydides ita libro quarto, καὶ οἱ λακεδαιμόνιοι βαλλόμενόι τε ἀμφωτέρωθεν ἤδη, καὶ γνόμενοι ἐν τῷ ξυμπτώματι, ὡς μικρὸν μεγάλω εἰκάσαι τῷ ἐν θερμοπύλαις. ἐκεῖνοί τε γὰρ τῇ ἀτραπῷ περιελθόντων τῶν περσῶν, διεφθάρησαν, οὗτοι τε ἀμφίβολοι ἤδη ὄντες, οὐκέτι ἀντεῖχον.

Ibidem Plautina ſunt in fabula cui nomẽ Bacchides.

Charta 208. Ouidiana libro IIII. Triſtium.

Charta 212. Quemadmodum enim arborib. &c. Similitudo Ciceroniana ex Oratore. Et hanc ſequens ex libro IIII. Academicarum quæſtionum, & deinceps ſequens, ex quarto Tuſculanarum.

Charta 216. Lenioris artis ſtudium eſt poëtices Ciceroni in prooemio Bruti.

Charta 223. Comparatio Liuiana libro IX. Et plutarchi in libello quo quærit, Vtrum Athenienſib. debeatur maior belli an Sapientiæ gloria, πότερον ἀθηναῖοι κατὰ πόλεμον ἢ κατὰ σοφίαν ἐνδοξότεροι.

Charta 224. Plutarchi libellus eſt, quo quærit, Sintne animi an corporis uitia deteriora. πότερον τὰ τῆς ψυχῆς ἢ τὰ τοῦ σώματος πάθη χείρονα. Et alius, utra ex animalib. plus habeant prudentiæ, Terreſtria ne an aquatilia. πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα; τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἔνυδρα. Et alius πότερον ὕδωρ ἢ πῦρ χρησιμώτερον, id

eſt,

est, Maior ne sit aquæ an Ignis utilitas.

Charta 226. Ouidiana sunt in libro secundo de Ponto.

Charta 227. Horatiana Carminum libro secundo.

Charta 228. Isocratis locus est in panathenaico.

Charta 232. Horatiana sermonum libro III.

Charta 233. Ciceronis locus de paraphrasi est in libro primo de Oratore.

Charta 235. Quintiliani locus est in illius libro X. Plinij autem in libro Epistolarum VII. ad Fuscum.

Charta 236. Pindarica sententia quæ indicatur est in tertio hymno πυθίων. ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σὺν δύο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι. Quam de uersib. Homericis Iliad. ώ. expressam esse quibusdam placuit. Quidam negarunt dolia Homerica tria esse, sicut Pindarus, duo mala ubi unum bonum sit attribui ait, ideo quod Homerus dicat, ἕτερος δὲ ἐάων, non ἄλλος. id quod sane leue est, quemadmodum ab autore fortasse alias ostendetur.

Charta 257. locus Isocratis est in Panegyrico.

Versuum Theognidis huius sententiæ.

Nupta seni Iuuenis non est res apta marito,
Non etenim clauo ceu ratis hæc regitur.
Ancora nec cohibet quin uinclis libera ruptis,
Portum sæpe alium nocte tenere uelit:

Horum igitur uersuum παράφρασις uel μετάφρασις potius, tantum enim genus uersuum est mutatum, exponitur Theophili Comici ab Athenæo libro XIII.

ὀυμ-

οὐ συμφέρον νέα ἐστὶ πρεσβύτη γυνή,
ὥσπερ γὰρ ἄκατον ὀλίγον μικρὸν πείθεται
ἑνὶ πηδαλίῳ, τὸ πεῖσμ' ἀποῤῥήξασα δὲ
ὑπ' νυκτὸς ἕτερον λιμένα ἔχουσ' ἐξευρέθη.

Non congruit mulier seni adolescentula.
Vt ratis enim haud paret gubernaclo unico,
Rudente sed crebro reuulsa non suum
Tenere portum nocte deprehenditur.

Charta 278. *Virgiliana sunt in libro secundo Georgicorum, & Aeneidos lib.* VII. *Et lib.* III. *ac* IIII.

Charta 292. *uersus Sophoclis huius sententiæ est in* Antigona,

πόλις γὰρ ἐκ ἔστ' εἰ τις ἀνδρὸς ἐσθ' ἑνός.

Charta 296. *De Medea dictum* Diogenis *extat in Gnomologia* Stobæi *capite* περὶ φιλοπονίας.

Charta 300. *Versus* Homerici *sunt odyss.* τ'.

Charta 305. *scribatur* Sullæ. *Non enim Græca uocabuli est origo. Et apud eundem* Quintilianum *capite* X. *ubi legitur, unde* Bruti, *publicolæ, pythici, uera scriptura, quam alij aliter mutarunt. Fuit autem hoc cognomentum sulpiciorum, ut* Dion *indicauit in* Nerone.

Charta 310. *Verbosiorem descriptionem cancrorum* ἀνιγματικῶς *contraxit uersib.* Iambicis *quispiam, hoc modo, ut retulit illos* Plutarchus, *in libello quo docet,* Quo pacto aliquis discernere possit assentatorem ab amico, πῶς ἄντις διακρίνῃς τὸν κόλακα τοῦ φίλου.

γας ἦ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῆ βλέπων
ὀφθαλμὸς, ἕρπων τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.

Charta

Charta 320. Sententiæ autorum ueterum implicatæ hæ fere sunt. Ex Electra Sophoclis,

τὸν γὰρ θανόντας οὐχ ὁρᾷ λυπούμενος.

Trachinijs,

τοῖς γὰρ θανοῦσι μόχθος οὐ προσγίνεται.

Alceſtide,

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.

Eueni uerſus, qui legitur nunc inter Theognideos.

πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρημ' ἀνήνυτον ἔφυ.

Latinus uetus,

Feras non culpes quod mutari non poteſt.

In oratione περὶ στεφάνου, πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις τοῦ βίου ὁ θάνατος.

Cicero pro Quintio, Etenim mors honeſta, &c.

Troadibus,

τοῦ ζῆν δὲ λυπρῶς κρεῖσσόν ἐστι κατθανεῖν.

Theognis,

φωτὶ δ' ὅπως ἄκιστα πύλας ἀΐδαο περήσῃ.

Menandri,

ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

Charta 322. Verſus Græci prouerbij,

θέλω τύχης σαλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον.

Et conuerſi Iambi ſunt in Antigona,

Τύχη γὰρ ὀρθοῖ καὶ τύχη καταῤῥέπει
Τοὺς εὐτυχοῦντας, καὶ τὸν δυσχοοῦντ' ἀεί.

Et rurſum ex Antigona,

νοῦν δ' ἀναγκαίως ἔχει
θηλοῦσιν εἶναι τοῖς σοφοῖσι τῆς τύχης.

Ibidem locus Demoſthenis in Olynthiaca ſecunda.

Charta 333. Homerica, Iliad. ν'. Et odyſſ. θ'.

Charta

Charta 341. loci Tragœdiæ,

ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά
τοῦ τ' ἀνόητον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὼν χείρω τρέπει
γνώμην, ἣν εἰδῇ μηδὲν ὢν ἁμαρτάνῃ.

Item in Hippolyto Euripidis

ἄκ ἐστὶ μοίρας τοῦ χρεώντ' ἀπαλλαγή.

Charta 344. Stasimum autorem carminis Cyprij nominant, quod falso olim Homero tribuerunt. Hic erit στάσιμος. Reperiri tamen audiui alicubi hunc nominari Stasinun, qui esset, στασίνους. siue uere seu literis permutatis.

Charta 345. Versus Euripidis est in fabula cui nomen πρωϊδές.

ἄκ ἔστ' ἔρασὴς ὅστις ἄκ ἀεὶ φιλεῖ.

Charta 347. Versus Euripidis est in fabula illius Medea.

Charta 350. Versus Hesiodi,

ἐπεὶ κακὸν ἄνδρα δίκαιον
ἔμμεναι, εἰ μείζων γε δίκην ἀδικώτερος ἔῃσι.

Ibidem uersus de uirtute sunt Claudiani.

Charta 359. Versus Pindari suauiss. sunt, πυθίων. ια.

φιλόφρον ἡσυχία δίκας, ὦ μεγίστ' ὄπολε θύγατερ, βουλῶντι
καὶ πολέμων ἔχοισα κλαΐδας ὑπερτάτας.

Charta 362. Visum est & callimachi elegantissimos uersus ascribere Græcos:

καὶ γὰρ, ἐγὼ τὰ μὲν ὅσα παρήκατε τῆμος ἔδωκα
ξανθὰ σὺν ἐυόδμοις ἀκρολιπῆ στεφάνοις,
ἄπνοα πάντ' ἐγένοντο παραχρῆμ' ὅσσα τ' ὀδόντων
ἄνθεθιγείσαντ' εἰς ἀχάριστον ἔδυ,

καὶ τῶν

καὶ τῶν οὐδὲν ἔμεινεν ἐσάυριον, ὅσσα δ' ἀκουάς
εἰσεθέμην ἔτιμοι μοῦνα πάρεστι τάδε.

Charta 363. locus Ciceronis est in libello partitionum Rhetoricarum.

Charta 364. Quæstionum diuersa genera indicata, ita Græce notantur, ὅτι καὶ εἰ. Item διότι.. Item τί. Item ὁποιόντι.

Addamus sane & hæc, Charta 143. mentio fit gestuum Zenonis, quorũ et autorem habemus Ciceronẽ.

Thebanæ autem statuæ sunt Aegyptiæ, de quib. plutarchus in libro de Iside & Osiride, ἐν δὲ θήβαις εἰκόνες ἦσαν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες, ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ κατὰ μύουσα τοῖς ὄμμασιν ὡς ἄδωρον ἅμα τῶν δικαιοσύνην καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν.

De pigrete quæ sunt indicata charta 289. Narrat Suidas, Vbi legitur hunc autorem esse Carminis ascripti Homero cui nomen μαργίτης. Idem Suidas Timolaum quendam Larissæum, subiecisse singulis Iliados uersib. Hexametros suos, & inscripsisse opus σκαίταγμα τρωικόν, narrat hoc modo:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος
ἣν ἔθετο χρύσου κεχολώμενος εἵνεκα κούρης.
ὀλομένην ἣ μυρὶ' ἀχαιοῖς ἄλγε' ἔθηκε
Μαρναμένοις ὅτε τρωσὶν ἄτερ πολέμιζον ἄνακτος.
πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἀΐδῃ προΐαψεν
ἕκτορος ἐν παλάμῃσι δαϊζομένων ὑπὸ δουρί.

Sunt & ἐξηγήσεων exempla præclara in Alcibiade posteriore, qum aliqui a Xenophonte Dialogum non

Platone

Platone ſcriptum eſſe tradidere, Loci ex Marcgite, & Protagora carminis Simonidis.

Quod Hendecaſyllabum componi ijs pedib. dicitur qui ſunt expoſiti, id factum eſt ideo quia talis ratio nobis eſt nota. Nam Græci aliam fecerunt nimirum antiſpaſticam, de qua cur anxie aliquid nunc inquiratur cauſſa non eſt. Appellatur autem carmen hoc φαλαίκειον, a phalæco, uel autore, uel qui plurimum hoc genere uſus ſit.

Hæc nunc quidem indicata eſſe ſatis ſit. Hoc tamen etiam debuit addi, in priore epiſtola mea perperam exarata eſſe penultima carta hæc, ſpe benignitatis tuæ, pro benignitatis ueſtræ. Et mox præſtitiſſe te, cum debeat eſſe, præſtitiſſe uos.

Hæc igitur emendentur, & cætera in opt. quiſq; partem omnia interpretetur.

EXERCITIORVM STV-
dij puerilis & ſtili, quæ hoc in libello
tractantur, Capita.

Procœmium, ubi & de Narratione.	Pag. 1
De Fabulis Aeſopicis	22
De Vario uſu tractandæ fabulæ	35
De Emendando	42
De Narrationibus ueriſimilibus	48
Fabulæ poëticæ	78
De Hiſtoria	93
De Oratorum narrationibus	109
De Expoſitionibus & deſcriptionibus	115
De Chrijs	136
De Sententia, quæ γνώμη dicitur	152
De Ethologia	159
De Epiſtolis	169
De Comparationibus	205
De Paraphraſi	230
Imitationis exercitium	257
De Subiectione rationum, ſiue ἀιτιολογίᾳ,	288
De Aenigmatis	305
De Locis communibus	316
De Probationibus & reprehenſionibus, deq; laude & uituperatione	322
De Carminibus componendis	351
De Propoſito, quam uocant θέσιν, & Declamationibus	362
De Declamationibus & fictis materijs	370

RERVM

RERVM ET VERBO-
RVM HOC IN LIBELLO MEMORABILIVM

INDEX.

Abraimus Turcarū dux 101
Academicæ disputationes 336
Accius Nauius, deq; eo narratio 91. 92
Acrisij mors 82
Adolescentiæ stultæ spectaculum 134
Adonis Veneri adamatus 357
Alduabis flu. descriptio 126
Adyta 123
Aegyptiæ fabulæ 23. 78
Aeneidos Virgilianæ epitome apud Ouidium 279
Aenigmata 305
Aenigmatum exercitium ac ratio 306
Aenigmatum multæ formæ 310
Aerope 293
Aeschinis & Demosthenis comparatio 214. 215
Aeschinis laus 215
Aesopus Crœsi æqualis 22
Aesopus Phryx fabulator 22
Aesopicæ fabulæ 20. 21. 22
Αἶνοι 9. 10. 307
Αἰτιολογίας exercitatio 288. 289
Agamemnonis anima in aquilam 88
Agesilai ænigma 311
Agesilai epistola 197
Aiacis nomen 305
Aiacis Telamonij anima in leonem 88
Alba græca, quæ & Taurorum 101

Alberti Durerì, melancholiæ pictura 130
Alcinoi apologus 27
Allegoriæ, atque earundem usus 291. 292
Allegoriæ ænigmaticæ 306
Allegoriæ multiplex ratio 310
Allegoricæ fabulæ 23
Amatorum inconstantia 345
Amasis Aegypti rex 340. inde
ἀμφίκυρτος 45
Amoris sui cæcitas 333
Anacharsidis epistola 203
Anapæstus 354
ἀναστεναὶ 323
Andromeda a Perseo liberata 82
Animalium descriptiones 127
Animarum sortitus ex Platone 84. 85
ἀνταπόδοτις 206
Antimachi Clarij dictum 145
Antisthenis chria 147
ἀντιθέτεις 214
Annuli funda, seu pala 83
Aphthonij progymnasmata 16
Apologi usus ubi 27
ἀπόλογοι 25. 26. 27
ἀποφθέγματα 136. sub chrijs comprehendi, eadem. & 142
ἀπομνημονέυματα 136
ἀποινᾶν 299
Apuleiana historia 21
Arboris descriptio 120
Archilochus quando vixerit 22
Archilochi fabulæ 22. 26
Archilochi trochaicorum interpretatio 277. 278
Arietis χρυσολάμου allegoria 292. 293
Aristotelis locus 13
Artium exercitia nihil aliud quam usus præceptorum
ἀσκώλια, ἀσκωλιάζειν 304. end.
ἄσκωλοι
Asini

Asini & equi fabula 46
Asini nostro seculo monstrum 308
Atalātæ anima in athletam 88. 89
A teneris assuefieri quantum referat 14
Antigoni locus 292
Atrei & Thyestis de regno contentio 293
Atropos parca 89
Audiendi alios præclarū studium 373
Augusti epistola 203
Autumni descriptio 118

B

Balibeius dux 101
Becranus Turcarū dux ibidem
Beatum esse neminem ante mortem, Solonis sententia reprehensa 359
Biantis dicti confutatio 328
Bionis contra Theognidem dictum 347
Bombardæ Germaniæ inuentum 132
Bombardarum descriptio 133
Breuitas diserta quæ 244
Breuitas Laconica in epistolis 173
Breuitatis præceptū 111
Breuitati non assuefaciendi pueri 114. 115
Buda a Solymano occupata 105

C

Caci fabula 97
Cadmei draconis dentes allegorice expositi 294
Cæsaris ex Commentar. locus 123. 124. 126
χαίρειν 190
Calais statuarius 333
Callimachi commendatio doctrinæ 362
Cancri ænigma 310
Cappæ maiorū gestamina rideri hodie 134

Capræ ænigma 315
χαριέντες 189
Carminum componendorum ratio & exercitium 351. inde
Carminũ præcipuæ formæ 352
Caroli ducis Burgundiæ et Georgij Pabergensis præsulis comparatio 219
Caroli Hispani & Franciſci Gall. regum de imperio poſt Maximilianũ contentio 281
Caroli in Imperatorem electio 282
Caroli magni & Octauiani Cæſ. comparatio 217
Caßij dictum 144
κατασκευαὶ 323
Catonis chria 137. 138
Catulli locus 354
Cebetis tabula 128
Centaurorum cum Lapithis pugna 249
Cerberus 294
κέρα 304
Cereris dona 98. 99
Cerui unde dicti 305
Chria trochaicis tetrametris 359
Chriæ. 137. unde dictæ 138
Chriæ alia forma quam γνώμης 141. 142
Chriæ in facto quales 143
Chriæ miſtæ ibid.
Chriarum exercitatio utiliſsima. 137. eiuſdem ratio quadruplex. eadem & inde
in Chrijs uariandis quid cauendum 140
Chrias figurandi triplex modus 142
de Cicadis fabula 23. 25
Cicero ſolus eloquentiæ latinæ autor. 22. 176
Ciceronis ad Herennium locus impugnatus 331
Ciceronis comparationes 215
Ciceronis cum Roſcio contentiones 256

Cicero

Ciceronis epistolæ 176
Ciceronis epistolæ Laconicæ 173
Ciceronis epistolæ ad Lentulum in Græcam linguam conuersio 266
Ciceronis in uertendis Græcis audacia 261
Ciceronis locus 17.19. 55. 56. 58. 90. 91. inde 94. inde 110. inde 144. 145. 162. 165. 166, 179. inde 185. 192. inde 223. 240. 258. 260. inde 299. 306. 317. 323. 324. 329. 348. 370. 374
Ciceronis paradoxa qualia 321
Ciceronis similitudines 210. 211. inde
Ciceronem a teneris etiam imitandum pueris esse proponendum 191
Ciceroniani loci imitatio 281. 284
Cilissæ fabulæ 22, 23
Ciuitas non unius uiri 32
Claudiani dictum 350
Clauis ænigma 314
Claues Laconicæ 61
Clepsydræ ænigma 315
Cleobuline Eumetis 307
Cleonis Athenienſis affectatio 178
Clotho parca 89
Colchidis fluuij auriferi 293
Colloquia 21. 181. etiam epistolis inseri solita 182
Colloquia Græcis ὁμιλίαι 300
κῶμαι 303
Comœdiæ antiquæ dicacitas 348
Comœdiæ nomen 303
Commentari 370
Comparatio elegis comprehensa 226
Comparatio inferiorum ad superiora qualis 22. contrariorū 223. 226
Comparatio, σύγκρισις Græce 205

Comparationes in argumentis frequentiores 214
Comparationes quarum rerum propriæ 228
Comparationum exercitatio. 205. inde
Comparationum formulæ 213. 214
Comparationum formulæ diligenter de ueterum scriptis obseruandæ 224
Confidentiæ malum 39
Consultatio, quæ thesis Græce 362. 363
Contradictionum usus et exercitium 336
Conuiuium, συμπόσιον 304
ad Copiam magis quam breuitatem assuefaciendi pueri 115
Cordis ænigma 313
Cornificius 331
Cos nouacula discissa 92
de Cossitio narratio 52
Crassi mors. 93. 94. inde
Cratetis epistola 172
χρείωδες 136
χρείωδη a Chrijs' differre 140. 141
Crœsus Aesopi æqualis 22
Crœso editum oraculum 346
χρονογραφίαι 121
Cui bono fuisset, Cassij dictum 144
Cupido uolucris 366
Cupidinis descriptio 290
Cupidinis tela 124
Currus descriptio 124
Cypriæ fabulæ 22
Cyprium carmen 344
Cypseli nomen unde 51

D

Dactylus 352
Danaes fabula 79. inde
Danaides 294
Danaidum dolij allegoria 296
Dauus comicus 16
Dædali fabula 333

Declamationum nomen 369. 370
Declamationum ratio et exercitium 371
Δίλτος 171
Demetrij rhetorica, an Phalerei 198
Democriti elegans dictū 150
Demosthenis χρεία reprehensa 343
Demosthenis laus 215
Demosthenis & Aeschinis comparatio 215
Demosthenis locus. 234. 263
Descriptionum ratio 115. 116
Dialogi 21
Διάλογοι ad prosopopœias relati 162
Διατυπώσεις 121
Dicendi primordia quæ 17
Διχότομος 45
Dictys 80
Diei orientis descriptio 117. 118
Διηγήματα 57
Dimetrum 353
Diogenis chria 147
Diogenis scomma 292
Disci lusus inuentor Perseus 82
Disertus ueteribus quis habitus 9
Disertos facit pectus, Fabij dictum 9
Diuitiarum & paupertatis comparatio 228
Dignus qui cum in tenebris mices prouerb. 299
Doctrinæ commendatio, Callimachi 362
Doloris & uoluptatis mutua accusatio. 33. & consecutio necessaria 34

E

Ebrietatis descriptio 129
ἐκφράσεις 115. 116
ἐκφράσις proprie quæ 121
ἐγχείρησις 374
εἰκόνες 121
εἰδωλοποιήσεις 160

Elegiaci carminis ratio 351
Elegiaci molliores modi 216
Elegiaco inclusa narratiuncula 357
Eloquentia 292
Eloquentiæ finis 5. laus 7. 9
Eloquentiæ nomine quid intelligendum 376
Eloquentiæ studium an loquacitas tantum 7
Eloquētiæ tempora, quæ Ciceroniana 152
ad Eloquentiam quanta cura olim instituti pueri 4
Eloqui quid proprie 8
Emendandi discipulorum scripta ratio 42. inde
Encomia 336
Encomiorum genera 337
Enna 90. 91
Ennensium nemus Siciliæ umbilicus 90
Ento Phorcis 80
ἐντολαί 171
ἔπαινοι 336
Epei F. Panopei anima in mulierem 88
ἐφοδία 299
Epicharmus poëta Siculus 303
Epicuri de fortunæ imperio sententia 321
Epicuri epistola 204
ἐπιδείξεις 370
ἐπιμύθιον 23
Epistola omnis ueluti depicta ingenij cuiusque tabula 177
ἐπιστολή, mandatum 171
ἐπιστόλιον. ead.
Epistolæ breuitas aut prolixitas 190
Epistolæ moderatio pulcherrima quæ 186
Epistolæ multiplices formæ 181
Epistolæ proprium 179
Epistolarum clausulæ 189
Epistolarum cotidianus sermo 170
Epistolarum genera 171

Epistola

Epistolarum præcepta à Rhetorum præceptis communibus minime diuersa 170. 175
Epistolarum responsiones 336
Epistolarum scribendarum ratio prosopopœis subiecta 169
Epistolis quatenus inserenda Græca 190. 191
in Epistolis quæ uitanda 179
Epistolaris oratio qualis esse debeat 184. 185
Epistolaris sermo quotidianus 190. 191
ἐπιτομὴ, eiusque ratio ac usus 244
Erasmi Roterodami mors 284. inde
Erasmi parabolæ 206
ἐργασία 157. 372. 373
ἐρώτησο 190
ἤθεσι 311
τὸ ἠθικὸν 177
Ethologiæ exercitiũ 159
ἠθοποιία 159. 160
ἐτυμότητος ratio 304
Euidentiam esse in expositionibus max. debere 182
Eumethis Cleobuline 307
Euripidis locus 19. 147. 335. 336. 347
Euripidis sententia reprehensa 345
de Euripide Ciceronis testimonium 335
Europæ raptus 78
Eurymedon, qui postea Perseus 79
Exercitatiõis usus 16. 17
ἐξεργασία 373
de Expositionibus 115. 116
εὖ διάγειν 190
εὖ πεφάγειν 190
εὐτύχει, εὐτυχεῖτε 190

F

Fabula exercitationum puerilium prima 18. 21
Fabula hexametris comprehensa 356

Fabulæ

Fabulæ inter probationes rhetoricas ab Aristotele collocatæ 13
Fabulæ Aesopicæ 21. 22
Fabulæ tractandæ ratio triplex 23
Fabulæ tractandæ uarius usus 35. inde
Fabulæ poëticæ ratio 78. inde
Fabularum antiquißimũ inuentum 22
Fabularum diuersæ appellationes 22. 23
Fabularum in permouendis hominum animis quanta uis 29
Fabulas quatenus figmenta deceant 338
Fabrilia fabri 178
Facundus ueteribus quis habitus 9
Felis & limæ fabula reprehensa 339
Felicitas nulla laboris expers 41
Fontis descriptio 125
Formæ dignitas 255
Formam reb. omnib. humanis præstare 247
Formicarum & cicadarum fabula 23
Fortuna omnium sapientum consilijs potentior 154
Fortuna rerum humanarum moderatrix, locus communis 321
Fortunæ utriusq; coherentia 33
Friderici Saxonum ducis integritas 381
Fumi ænigma 314
Funda annuli 83
Furiæ 294

G

Gazæ conuersiones 265
Generis nobilitas 254
Genij eligendi ratio 8. 85. 89
Genethliaci ludi descriptio 131. 132
Georgij Pabergensis præsulis & Caroli ducis Burgundiæ comparatio 219

Giga-

Gigantum pedes anguini allegoricos 296
Gnatonis fera 312
Γνώμη. uide, Sententia.
Γνώμη quomodo prouerbium fiat 159
Γνῶμαι 136
Gnomæ quomodo ex chrijs 141. 142
Gnomica elegis comprehensa 360
Γνῶθι σαυτόν, sententia reprehensa 345
Gorgiæ ars 318
Gorgiæ aurea statua Delphis 318
Gorgones 81
Goselariæ funesta comitia 106
Græca lingua ænigmatis aptior quam latina 311
Græca quatenus epistolis inserenda 191
Græca uertendi ratio ac utilitas 243. 244. inde. 272
Græcæ Latinæq; linguarum coniunctio quam necessaria 265
Græcæ linguæ usus ac necessarium studium 13
Græcorum descriptiones 116
de Græcis uersionum exempla, mutato carminis genere 362
Græcos & Latinos cæteris gentibus humanitate et iusticia præstitisse 9
Græcitatis nimium ac præpostere studiosi quidam 11
Γράμματα, γραμματοφόρος 171
Grammaticorum genus poëtis infestum 323
Griphorum multæ formæ 310
Gyges quando uixerit 22
Gygis annulus 327
Gygæ fabula 82

H

in Hannibale derisum dicendi studium 178

Hector

Hector unde dictus 305
Helenæ encomium 244. inde. & 247
Heliodori historia 21
ἡμερόκοιτος 307
Hendecasyllabum carmen 355
Henrici & Rudolphi Imperatorum pugna 107
Herculis & Thesei par studium 249
Herculis gesta 249
Herodoti locus 15.20.26. 49. 50. 128
Herodoti narratio de Polycratis fortuna et interitu laudata 339
Heroici carm. ratio 352
Hesiodi dictum de uirgine ducenda 335
Hesiodea ænigmata 307
Hesiodi fabula 22
Hesiodi locus 24. 44. 301. 302
Hesiodi sententia reprehensa 349. 350
in Hesiodi Theogonia. de autore dubitari 78
Hexametris comprehensa fabula 356
de Historia 93
Historia inter uerâs & fictas narrationes media 93
Historia præcipuum oratoris opus 96
Historiæ Gallicanæ & Italicæ, atq; Germanicæ 21
Historiæ ratio, & quatenus ficta recipiat 20
Historicæ narrationis exquisitio maior 96. inde
Homeri locus 10. 78. 123. 134. 144. 162. 176. 178. 230. 300. inde. 333
Homerici loci reprehensio, & eiusdem defensio 341. 342
Homericis singulis subiecti Pigretis pentametri 289. 290
ὁμοιώσεων exempla 210
Horatianæ comparationes 227. inde

Horatij locus 27. 28. 145. 233
ὑγιαίνειν 190
Hyemis desinentis descriptio 117
ὑποθέσεις similitudines 225. 361
Hyperidis scripta non extare 214
ὑποθέσεις, ἄδοξοι καὶ πονηραὶ 371
ὑποτυπώσεις 121

I

Iasonis tunicæ descriptio apud Apollonium 17. 119
Iazyges, quorum regio hodie Septemcastrensis 102
Iæno Phorcis 80
Iambus quid 354
Iambis toti uersus continuati ibidem
Iambici carminis ratio 353
Immanis 304
Imitationis exercitium 257. inde. quanti ad eruditionem momenti sint 280
Idolopœia quid 160
Incurius fl. 89
Infernalium fabularũ allegoria 295
Innocentes maxime obnoxij iniuriæ 344.
Insolita omnia obscura 185. 186
Inuidiæ ænigma 312
Inuidiæ descriptio 124
Ioachimi in utraq; lingua a teneris studium 12
ab Iratis nihil recte fieri 145
Isocratis locus 98. 99. 162. 163. 243. 247. 257
Isocratis paragraphicos 112. amartyros 113
de Isocrate Socratis ex Platone testimonium 260
Iupiter sapientiæ doctor 300
Iurisconsultorum δίκαι 368

Iuuenum corruptelæ deploratio 167
Iuuenum hodie corrupta uiuendi ratio 135. inde. & 146
Iuuenibus exitiosum otium 23. 24

L

Labor iuuentuti utilissimus 23
Lachesis Necessitatis filia, eiusq; oratio 84
Laconum breuitas 173
Laconicæ claues 61
Laconicæ epistolæ exemplum 196
Lacus descriptio 125
Λαλιαὶ 370
Lapitharum cum Centauris pugna 249
Latina potius quam Græca lingua primum instituendi pueri 11. 13
Latinæ Græcæq; linguæ coniunctio quam necessaria 265
Latinæ linguæ copia atque elegantia 11. 12.
Virilitas. ead.
Latinorum & Græcorũ præ alijs gentibus humanitatis & iusticiæ præstantia 9
Latinorũ in Græca uertendorum ratio atq; exercitium 265. 270. inde
Latinarum literarum dignitas 11
Laudationum formulæ 324. inde
Laudationum usus et exercitatio 336
Lectionis exercitatio in puerili ætate 372
Leges partim ad theseis, partim ad ἠθοποιΐαν referendæ 368
Legum tractatio quo referenda ead.
Lentuli epistola 198
Lessum 295
Libera eadem cum Proserpina 90. 91
Licentiam in studijs non prodesse 235

Limæ & felis fabula reprehensa 339
Λήμματα: sumtiones 186
Limpergensium familia. 219
Literæ 172
Liuij locus 24. 97. 98. 223
Loci descriptio in epistolis 190
Locus communis quid 316. 317
Loci communis ad theses similitudo 368
Locorum communium usus atque tractatio. 316. inde
Locorum communium qualis penus pueris instruendus 318. 319
Locorum descriptio 118
Λόγος quare & locutionem & rationem simul significet 9
Longolianæ epistolæ 174
Loqui 8
Loqui discere, quãti momenti res 9
Loqui uerbum unde deductum 67
Loquendi & sapiendi appellationes quare ueteres commiscuerint 9
de Laboribus uoluptas nascitur 41
Luciani calumniæ 128
Luciani locus 244. inde
Lucretij locus 294
de Luctu fabula 35
de Ludouici regis Pannoniæ interitu 99. 100. inde
Ludouici Imp. Pannoniæ natiuitas & nomen, ominosa 100
Lunæ cognomina 45
Lunæ preces 44
Lybicæ fabulæ 23
Lysippus 334

M

de M litera ænigma 313
Maiorum nostrorum amictus nostra ætate ridiculus 134. 135

Maiorib. nostris non omnino defuisse literas atq; doctrinam 90
Manum apud ueteres bonum 304
Μάντις ἄρεις. prouerb. 308
Maria Maximiliani Imperatoris filia Ludouico nupta 100
Martes pyrgum 108
Martis uincti & infamati fabula 78
Mathiæ regis Vngariæ laus 105
Materiæ improbabiles 371
Materiæ quales discipulis scribendæ proponi debeant 43
Max. Cæs. egregium factum 268. inde
Maximiliani in Carol. Burgund. ducem & Georg. Pabergens. præsulē studium 219
Maximiliani laus 222
Medeæ allegoria 296
Medusæ fabula 81
Melancholiæ pictura per Alb. Durerū 129. 130
Melancholici qui 130
Μελέτη 370
Μένανδρος uirgo 311
Menandri uersuum interpretatio 277
Menecratis Iouis epist. 196
Μεταφράσεις 233
in Metu esse pudorē, sententia reprehēsa 344
Μηδὲν ἀναβαλλόμενος 150
Mimici colloquij exempla 67. inde
Μίμησις 162
Militare colloquium 71
Militaris epist. ex Plauto 203, 204
Μυθοειδὴς 45
Minois laudatio Homerica 300
Minotaurus a Theseo superatus 249
Mnemosynæ nomē Musarum numerū complecti 313
Moderationis epistolaris formulæ 186

Mogacium, atq; ibi inter Turcam & Ludouicũ regem pugna 183
Mortem non esse malũ, loco communi tractatum 320
Muli ænigma 315
Muliebre colloquium 68
Muris ænigma 314
Musarum numerus per ænigma 313
Musas omnes significari atq; exaudire, si una quælibet earum inuocetur 15
Musicus quis 4

N

Narrandi in epistolis ratio 181
Narratio quid 19
Narratio a casu potissimum ducenda 42
Narrationi peculiariter inesse debere perspicuitatem 111
Narrationes fictæ duplices 19
Narrationes oratoriæ 109. inde
Narrationes ueræ quæ, earumq; formæ 19
Narrationum species 21
Narrationum uerisimilium ratio 48
Narratiunciula elegiaco incluſa 356
Nauium appulsarum descriptio 120
Necessitatis solium 89
Neoptolemus comœdiarum actor 150
Niuis ænigma 311
Noctua numismatis signum 312
Noctuæ & solis fabula 47
Nutricum fabulæ 22

O

Οαρος 300
Obliuionis campus 89
Obliquæ elocutiones quæ 180
Occasus solis descriptio 134

Octauiani Cæsaris & Caroli Magni comparatio 217
Oedipus parricida 346. inde
Orationis diuersitas ad obseruandū suum cuiusq; decorum 163
Orationem duabus rebus admirabilem reddi 176
Oratorum gnomæ 155
de Oratorum narrationibus 109
Orci galea 81
Orationis imitatio in epistolis scribendis 181
Organa musica 132
ὀργὴ ἀπρονόητος 145
Orionis descriptio 125
Orphei anima in olorem 88
Ouidij carmen in Ibin 210
Ouidij & Tibulli comparatio 216
Ouidij locus 208. 209. 233. 237. 279. 303
Ouidij Metamorph. 92
Ouidianæ descriptiones 124. inde
Ouidianæ similitudines hyperbolicæ 225. 226

P

Pala annuli 83
Panegyricorū ratio prosopopœis subiecta 170
Πανηγυρικοὶ λόγοι 372.
eorumq; formæ 372
Παντέλως 45
Papaueris ænigma 315
Paphius color 311
Παραβολὴ 204
Parabolæ cuiusmodi pueris ad imitationē proponendæ 205. 206
Parabolæ quomodo πιπλήσσειν oporteat 207
Paraphrasis 230. eiusdem utilitas 235
Παραινέσεις 22
Parœmiæ ad γνώμας pertinentes 151
Pares cum paribus 47
τὸ παθητικὸν 177

Paridis

Paridis iudicium 246. 253
Paupertatis & diuitiarum comparatio 228
Pauperis nullus amicus 347
Pausaniæ descriptiones aliquot insigniores 126. inde
Pausaniæ ἐκφράσεις 120
Pausaniæ Phidiacum Iouis olympij signum 128
Pausiæ ebrietas depicta 129
Pectus esse quod disertos faciat 9
Pedes in carminib. 351
Pelasgi fabulæ allegoria 291
Penphredo Phorcis 80
Περιγηματικοὶ λόγοι 117
Περιστάσεις 97
Persei fabula 79. inde
Perspicuitatis quomodo habenda ratio 185
Pestilentiæ descriptio 120
φαντάσματα 122
φάσματα 122
Phereeydæ salutatio 190
Philippi ad Menecraten epistola 196
Philippo regi editũ oraculum quale 306
Philoctetes 333
Philopœmonis studiũ rei naualis derisum 178
Philostrati epistola 172
Phœnicis ænigma 314
Phorci filiæ tres 80
Phryxi fabulæ allegoria 292
Picastrus fl. 107
Pigretis pentametri Homericis singulis subiecti 288. 289
Pindari allegoriæ 307. inde
Pindari locus 41. 149. 236
Pindari uersuum explicatio 258
Pirithoi & Thesei amor 245. 248
Plato philosophorũ deus Ciceroni 335
Platonis de cicadis fabula 25

Platonicæ fabulæ 23
Platonis locus 14. 26. 33. 57. inde. 82. 84. 230. 232. 294. 300. inde= 302
Platonis locus a Cicerone expressus 258. inde
Plauti locus 67. 116. 123. 124. 153. 207. 208. 308
Plauti locus paraphrastice expositus 274
Plautina dicacitas 348
Plautinæ epistolæ 199. inde. 203. 204
Plebis seditiosæ copiarum descriptio 130
Plinij ex epist. locus 122
Plinianæ epistolæ 172
Plurali numero unũ appellare quatenus nostra ætate tolerabile 187
Plutarchi locus 144. 223. 224. 206. 347
Plutarchi multæ parabolæ 206
Plutarchi narrationes natoriæ 67. 68
Plutarchi παράλληλα. 214. & comparationes 223
Poëtæ ueteres sapientiß, genus hominum 296
Poëticæ fabulæ tractatio. 78. inde
Πολιτικαὶ φύσεις 365
Polycratis Samij fortuna & interitus 340
Polydectes Seryphi rex 80
Pomponij Læti epist. 179
Pontani scripta 116
Portentorum significationes 308
Potentiorum mußitanda iniuria 28. 29
Potentioribus obsistere stultum ibidem
Πρακτικαὶ φύσεις 313
Præceptorum usus, artium exercitia 1
Præceptis ad artium notitiam peruenire 2
Πρέπον 165
Principis boni officium 311

Proba=

Probationum formulæ 323. 325
Probationum ratio 322
Προβλημάτων exercitium 290
Procrastinatione nihil peragi 150
Προγυμνάσματα 4
Προμύθιον 23
Pronunciationis exercitatio in puerili ætate 373
Propertij locus 291
Propositum θέσις, eiusq; exercitatio & usus 362. inde
Propriorum nominum ἐτυμότης 305
Proserpinæ raptus 90
Prosopopœia quid 160
in Prosopopœia magnã eloquentiam desiderari 161
Protagoræ ars 318
Ψοφοδεῖς 383
Pudorem esse in metu, sententia reprehensa 344

Q

Quæstionum duo genera 364
Quintilianus a Cicerone de paraphrasi dissentit 17
Quintiliani locus 136. 235
Quotidianus sermo quis 190. 191

R

Rationis subiectio 288. inde
Rhadamanthus 300. 301
Rationes in epistolis quales esse debeant 186
Rei descriptio 179
Repetita eadem interdum apud Demosthenem, &c. 234
Reprehensionum formulæ 322. 323
Reprehensionum ratio 322
Rheni pontis descriptio 126

Rhetoricæ ad Herennium autor dubius 331
Rosarum commendatio ex fabula de Venere 356
Rotingi dictum 174
Rudolphi et Henrici Imperatorum pugna 107
Rusticæ uitæ laus 224. inde
Rusticorũ prouerb. 298
Rusticorũ seditionis descriptio 130

S

S. V. B. E. 202
de Sagra prouerb. 326
Salapia 52
Salus in epistolis omissa quid 200
Salutis præscriptio in epistolis. 189. qualis. 190. 202
Sapientiæ uirtus quæ & qualis 6. 7
Sapientum ocio uulgus irascí 32
Sapientes fortunæ serui 322
Σκάζον carmen 354
Scenicorum ludorũ origo 303
Σχήματα 174
Σχήματα orationis lumina 180. 195
Scipionis Africani chria 139
Scorpij sideris descriptio 125
Scribendum sæpe accumulatum eloquentiæ studiosis 17
in Scribendo tria obseruanda 178
Seditione in ciuitate orta, an ad neutram partem concedendum 330
Segnis uelocem assequitur prouerb. 39
Senarium carmen 352
Senecæ scripta in quo reprehendatur 310
Senecæ epistolæ 185
Senecæ scripta 152

Senten-

Sententia quid, & quot eius species 157
Sententia κατ' ἐξοχήν 152
Sententia iudicum 152
Sententia, quæ γνώμη 152
Sententiæ aliquot linguæ uernaculæ 157
Sententiæ ἐργασία 156
Sententiæ oratorum 155
Sententiarũ breuitas aut prolixitas 154. 155
Sententiarum crebritas nimia uitanda 152
Sententiarum diuersitas 155
Sepis serpentis descriptio 127
Septemcastrensis regio 102
Sermo animi index 177
Sermonis usus 5. 6
Sermonis omnis diuisio 18
Sermone homines a bestijs potißimum differre 5
Sicilia Cereri & Liberæ sacra tota 91
Siciliæ fertilitas 144
Siciliæ nemus 90. 91
Similitudinis reprehensio 348
Similitudines hyperbolicæ 225. 360
Similitudinum exercitatio. 205. exempla 210
Simonidis sententia expressa mutato carminis genere 361. 362
Sisyphus 294
Si uales, bene est 202
Socratis dictum 146
Socraticæ mortis narratio 57. 62. inde
Solis ænigma 313
Solis regiæ descriptio 119
Solymani Turcarum regis in Pannoniam bellum 100
Solonis laus 149
Solonis dictum per chriam 149
Solonis sententia reprehensa 330
Somni ænigma 316
Somniorũ absurditas 258

Somniorum ἐξηγήσεις 308
Sophistæ 120
Sophoclis locus 117
Solonis dicti de beatitudine refutatio 359
Spondæus 352
Stasimi poëtæ dictum reprehensum 344
Stesichori fabula 30
Strabonis locus 346
Stultum benedicere non posse 9
Stymphalidum descriptio 126
Sumtiones, λήμματα 186. epistolas max. decere ead.
Sybariticæ fabulæ 22
Συγκρισις 205
Συγκρίσεις in argumentis frequentiores 214
Syllaba ult. in carmine semper anceps 352
Syluæ descriptio 125
Symphorij ænigmata 314
Συμπόσιον 304
Synesij epistolæ 172

T

Tabellæ tabellarius 171
Tagis fabulæ reprehensio 326
Talos quare æreus 301
Tantalus 294
Tauri ænigma 315
Taururũ, quæ Alba Græca hodie 101
Τεμμάχιον 109
Temporis annotatio in epistolarũ calce. 189
Temporis descriptio 123. 126
Tempestatis descriptio 118
Terrã cariosam nec coli nec attingi debere, chria 138
Terentij locus 232. 324. 325
Testudo numismatis signum 312
Testudinis & aquilæ fabulæ 36. inde
Teutonicæ linguæ grauitas 157
Texturæ descriptio 125

Thamyræ anima in luſciniam 88
Theocriti fiſtula 311
Theocriti locus 27. 184
Theognidis locus 238. eiuſdem ſent. repreſenſa 347
Θεωρητικαὶ θέσεις 364. 359
Therſitæ anima in ſimium 88
Theſeus 245
Theſei & Pirithoi amicitia eadem
Theſei in Helenam amor 245
Theſei laus 99. 249. certamina. ead. res geſtæ aliæ 250
Theſis quid. 385. eiuſdem uſus ac ratio 362. 363. inde
θέσεις duplices 364. inde
Theſeon exercitatio dialectica 375
θέσεων cum loco communi ſimilitudo 368
θέσεων diuerſitas 369
de Thraſybulo & Zopyro ead. hiſtoria 66
Thucydidis locus 308
Tibiæ ænigma 315
Tibulli & Ouidij comparatio 216
Tibulli locus 280. 303
Tigridis ænigma 315
Tineæ ænigma 314
Tireſias Homericus 292
Titulorum uſus quatenus ferendus 188
Tityus 294
Tomoreus Colocenſis. præſes. 102. eius cædes 104
Τοποθεσία 121
Tragœdia ante comœdiam reperta 304
Tribrachus 354
Trimetrum iambicũ 352
Tritonum deſcriptio 127
Trochæus nec heroici carminis nec iambici pes 352
Trochaicum carmen non admittere iambum. 354. idem iambico contrarium 355

Trochai-

Trochaicum καταλληκτον καὶ τετράμετρον 355
Troiani belli æquiſs. cauſſa 246
Trumulum, Germanorum inuentum 133
Turcæ bellicis machinis inſtructi 104
de Turdo & hirundine fabula 47

V

Valedictiones in epiſtolis quales 190
Valerij Max. oratio non omnino bona 54
Varietatis exemplum 39
Varronis in etymologijs inquirendis ſtudium 305
Velleris aurei allegoria 292
de Ventre & membris fabula 24
Venus aurea 311
Veneris flos roſa 356
Veris deſcriptio 117
in Vernaculam quoq; linguam Græca & Latina uertendi uſus 273
Veterũ exemplis in præceptionibus artis utendum 331. inde
Veterum ſapientia qualis. 307. in locis communibus ſita 318
Victoria amat curã, prouerb. 41
Vipera unde dicta 331
Viperæ fabula reprehenſa eadem
Viperam animal parere eadem
Virgilij experientiæ 236
Virgilij locus 14. 117. inde. 122. 125, 126, 128. 164. 206. 208, 209. 224. 234. 237. 278. 279. 302
Virgilij locus problematẽ tractatus 290
in Virgilio reprehenſa a Pontano defendi 323
Virgilianæ Aeneidos epitome apud Ouidium 279

Virgiliana allegoria 307
Virgilianæ breuitatis & copiæ exempla 278. 279
Virgo ne potius ducenda, an uidua 335
Virtus 292
Virtus ipsa precium sibi 350
Vitulino ſtro ſeculo monſtrum 308
Vituperationes, ψόγοι 336. earundem exercitium 337
Vlyßis anima in hominis priuati ſortem 89
Vlyßis ſomnus 342
Vni contingere omnia non poſſe 333
Voluptatis & doloris mutua accuſatio. 33. & inde neceſſaria conſecutio 34
Voluptatis finis moleſtia 41
Votorum nuncupationis uerba 188
Vulpeculæ uerſutia in fabulis 26

X

Xenophontis fabula 31
Xenophontis locus 238

Z

Gregor. Zepuſius 103. eiuſdem interitus 104
Zeuxidis Helena 135
ζητήσεων duo genera 364
Zonarum deſcriptio 279
de Zopyro & Thraſibulo eadem hiſtoria 66

FINIS.

BIBLIOTECA KORNICKA

BIBLIOTEKA KÓRNICKA
14086

